C.R. BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS CRACOVIENSIS
V B J C
11033
I | Mag. St. Dr. | P

Venia aetatis przez ieden Rok deficit 5/1000 a przez więcey nad ieden, tam 7 1/2 od 1000 należy opłacać Taxe

V
B J
C
11033

3

6
20
1.
~~45 Prawo~~

CODEX CIVILIS PRO GALICIA OCCIDENTALI.

PARS II.



VIENNAE
Typis JOSEPHI HRASCHANZKY, Cæs. Reg.
Aulæ Typogr. Bibliop.

1797.

Pars III.

INDEX.

PARS II.

C A-

CA-

CAPUT I.

De divisione rerum & qualitate.

§. 1.

Quodcunque persona non est, in bonis personæ aut usu esse potest, res jure civili adpellatur.

§. 2.

Res, in quas nemini jus aliquod præcipuum est, totius generis humani & communes sunt: jacentes adpellantur, in quas certum aliquod singulorum jus est, ut adita nondum hæreditas, thesaurus nondum inventus.

§. 3.

Res, quæ in territorio publico ſunt, non itidem generi humano communes, ſed vel univerſæ civitati, vel ſingulis civibus propriæ ſunt.

§. 4.

Earum rerum, quæ civitati univerſæ pertinent, duo ſunt genera. Aut enim communi omnium uſui patent: ut viæ publicæ, aqua profluens, portus, & littora maris; & res proprie ſunt publicæ:

§. 5.

Aut libero ſingulorum uſui non conceduntur, ſed civitati procurandæ & ſuſtentandæ deſtinantur, ut puta jus cudendæ monetæ, tabellariorum & curſuum publicorum, & cetera, quæ & regalia adpellantur, majeſtatis jura, bona, quæ vocant, cameralia, metalla, ſalinæ, tributa, cenſus; quæ ſunt civitatis patrimonium.

§. 6.

Cives universi aut corpora, & universitates sunt aut personae singulae.

§. 7.

Res universitatum duplices sunt. Eæ, quarum usus singulis patet, ut sunt templa, fora & loci publici, fontes, rivi, pascua, silvæ, & publicæ viæ, res proprie universitatum dicuntur.

§. 8.

Quarum usus singulis non patet, uti sunt ædes, agri, pecuniæ & similia, quorum fructus necessario universitatis sumtui impenditur, patrimonia sunt universitatum.

§. 9.

Quod neque in publica, neque in re universitatis est, singulorum civium est, & res privata. Inter res privatas non modo patrimonia universitatum, sed etiam bona principis, quæ jure personæ priva-

to, non fisci & principatus possidet, merito habentur.

§. 10.

Rerum publicarum usus & patrimonii publici jure publico, rerum universitatum & corporum legibus politicis continetur. Jura rerum privatarum, modi adquirendi, conservandi, & transferendi dominii legibus civilibus definiuntur, quibus & controversiæ inter rerum privatarum possessores & publicæ vel universitatis rei administratores dijudicantur.

§. 11.

Qualitas rerum actiones & jura rerum determinat. Res porro sunt corporales vel incorporales, mobiles vel immobiles, fungibiles vel vel non fungibiles, æstimabiles vel inæstimabiles, divisibiles vel indivisibles.

§. 12.

Res corporales sunt, quæ sensu percipiuntur: ut ædes, ager, bestia; incorpora-

porales, quæ ſola mente percipiuntur, quales ſunt: jus venandi, piscandi, & reliqua jura.

§. 13.

Quæ ſalvæ e loco in locum moveri poſſunt, res mobiles; quæ non poſſunt, immobiles ſunt. Lex tamen aut voluntas domini rem per ſe mobilem immobilem declarare poteſt.

§. 14.

Gramina, arbores, fructus, & quidquid terra gignit, res ſunt immobiles, quamdiu a terræ, cui innaſcuntur, ſuperficie non reſecantur aut ſejunguntur; pisces, qui in ſtagno, feræ, quæ in ſilva ſunt, tum denique res ſunt mobiles, ſi pisces capti, feræ occupatæ vel occiſæ ſint.

§. 15.

Frumenta, ligna, pabula, & quidquid demeſſum, quamvis conditum jam fuerit, pecudes, inſtrumenta & utenſilia

ad fundum pertinentia res esse immobiles censentur, quatenus nec commercio, nec usui destinatae, sed continuandae rei familiari & culturae fundi ordinarie inserviunt. Quotiescunque enim de toto quaeritur, partes nempe, sine quibus totum esse nequit, & quae in toto per se sunt, necessario intelliguntur.

§. 16.

Quae in fundo statuuntur, ut permaneant, domus, aedificia, & quantum aëris vacui areae domus superincumbit, res sunt immobiles: adde firma, fixa, revincta, qualia sunt labra coquendae cereri, clibani & ahena urendo vino, scrinia & armaria parietibus impacta, & quidquid continuo usui universae rei inservit, modiolos & situlas hauriendae aquae, funes, catenas, instrumenta & utensilia restinguendo igni comparata & similia.

§. 17.

Jura & obligationes, quum res sint incorporales, ab eo, quod moveri aut non moveri potest, stricte differunt; enato dubio inter res mobiles habentur, si pars non sint rei immobilis, aut ab eo, quod moveri potest vel non potest, disserte sejuncta & distincta fuerint.

§. 18.

Creditum pignore rei immobilis obligatum res immobilis ideo non fit.

§. 19.

Res mobiles forum & leges domini sequuntur, immobiles legibus loci, ubi sitae sunt, judicantur.

§. 20.

Res fungibiles sunt, quae in abusu continentur, sive quae usu fructu consumuntur vel dispereunt: ut puta vini, olei, tritici, pecuniae; quarum in usu salva substantia manet, seu quae utendo fruendo consumi vel destrui plane non possunt,

non fugibiles res ſunt, quales ſunt ædes, agri, atque etiam veſtes.

§. 21.

Pro rebus fungibilibus res alias ejusdem pretii, generis, qualitatis, menſuræ, numeri & ponderis reſtituere fas eſt.

§. 22.

Res æſtimabiles ſunt, quæ certo & finito pretio rebus aliis æquiparantur, qualia etiam ſunt, quæ manu, ingenio perficiuntur, & factis multimodis præſtantur. At quæ cum rebus iis, quæ in negotio & commercio ſunt, quod ad pretium, nulla ratione comparari & definiri poſſunt, res ſunt inæſtimabiles.

§. 23.

Definitio valoris rei æſtimatio, definitus rei valor pretium vocatur: quæ nullius ſunt pretii, pretio æſtimari non poſſunt, qualia ſunt victualia corrupta, & quæ inexhauſti & infiniti uſus ſunt, aër,

lux diei, aqua maris, facta denique, quorum pretium iniri nequit, ut ſunt inſignes virtutum omnium actus.

§. 24.

Res æſtimanda cum re alia tanquam regula ſua comparanda eſt. Qui inter ſe contrahunt, regulam ſibi ipſi faciunt; at judex rei æſtimandæ pretium certa aliqua pecuniæ ſumma definiat, quae generatim res omnes repræſentat, & rerum omnium menſura eſt.

§. 25.

Sunt & res, quae valorem quidem habent, ſed vel religione vel reipublicæ utilitate & commodo in commercio non ſunt, ut puta res religioni ſacræ, & merces legibus politicis prohibitæ.

§. 26.

Res, quæ uſu ſuo & utilitate quotidiana æſtimatur, pretio ſuo ſolito & ordinario deſcribitur. Quodſi in finiendo pretio tempus, locus, perſona, prædi-

lectio

lectio & adfectio æſtimandæ rei reſpiciantur, pretium ſit extraordinarium. Si nec pacto, nec lege aliud ſtatuatur, judex rem pretio ſuo ſolito & ordinario æſtimato.

§. 27.

Quæ diviſæ ſubſtantiam ſuam & nomen ſervant, res adpellantur diviſibiles, quæ ſunt vinum, frumenta, agri & ſimilia. Quæ dividi & ſeparari nequeunt, res ſunt indiviſibiles, & vel natura rei ipſa, intacta & immutata rei ſubſtantia: uti aratra, picturæ, organa muſica; vel ipſa lege: uti prædia aliqua ruſtica dividi nequeunt.

§. 28.

In re dividunda diviſibili ne fas eſto ſocium & conſortem ad capiendum partis & portionis in re ſuæ pretium cogere. Quod ſi portio rei non diviſibilis petatur, dividundæ rei communis lex norma eſto.

§. 29.

§. 29.

Jura personarum in re sine respectu ad certam personam realia adpellantur, & sunt possessio, dominium, pignus, servitus, hæreditas.

CAPUT II.

De possessione.

§. 30.

Qui rem in potestate sua & manu habet, rei est detentor: possessor idem est, si rem cum animo sibi habendi detinet. Sine potestate rei occupandae, & animo sibi habendae nulla est possessio.

§. 31.

Itaque qui rationis usu carent, uti infantes, mente capti, adquirendae possessionis incapaces sunt, & vel a tutore vel curatore procurantur. Impuberes posses-

sionem rei per semet ipsos capere & adprehendere possunt.

§. 32.

Rerum tam corporalium, quam incorporalium, quae jure aliquo adficiuntur, potest adprehendi possessio; non item earum, quae inexhausti usus aut pretii inaestimabilis sunt.

§. 33.

Rerum corporalium mobilium possessio ipsa rei adprehensione, deportatione, detentione; immobilium possessio ingressu in rem immobilem, sulco, cespite aut sata sepe; incorporalium seu jurium ipso, si nihil obstet, usu & exercitio nomine proprio facto adquiritur.

§. 34.

Usus juris hujus nascitur, siquis ad praestandam statis vicibus alteri rem aliquam obligatum se eredat, eamque ipso facto praestet: si rei suae alteri utendae fruendae potestatem faciat & jus esse credat;

dat; si rem sibi quidem non inlicitam voluntate alterius & jussu intermittat, intermittendæve ejus obligatum se agnoscat.

§. 35.

Et jurium & rerum corporalium possessio vel directe & proxime, id est, ipsa rei vel juris, quæ nullius sunt, adprehensione & occupatione; vel indirecte & remote juris reive proprio vel alieno nomine a detentore facta traditione, cessione, traditæque & concessæ rei vel juris consentanea acceptatione adquiritur.

§. 36.

Directa & proxima possessionis adquisitio tantum tribuit, quantum ipsa adprehensione, ingressu, usu aut alio modo detinetur; indirecta & remota id omne, quod alter detinuit & signis manifestis tradidit, complectitur, neque opus est partium singularum rei secreta & distincta adprehensione & receptione.

§. 37.

Possessio pro rei qualitate justa vel injusta, bonæ vel malæ fidei, non vitiosa vel vitiosa est.

§. 38.

Possessio justa est, quæ justo titulo caussave nititur; eo distituta injusta possessio adpellatur.

§. 39.

Titulus caussave juris vel in ipsa rei natura, quæ nullius atque adeo primo occupantis est; vel in voluntate possessoris, qui suum possidendi jus pretio vel gratis in alterum transfert; vel in ipsa denique lege est, quæ possessionem quandoque dat.

§. 40.

Justus titulus jus tantum possidendi, non ipsam possessionem tribuit; quæ si contradicitur, nec proprio marte capienda, sed ab judice competente, comproba-

to poſſidendi titulo, jure & in ordine petenda eſt.

§. 41.

Qui rem non ſuo, ſed alterius nomine detinet, titulus ei poſſidendæ detentione ſua rei ejus nec eſto.

§. 42.

Ne fas eſto titulos detentionis convertere & perturbare, verbi gratia: librum commodatum donatum fingere, ejusque rei titulum uſurpare. At fas & jus eſto, qui rem antea poſſederit, eam nomine alterius detinendi, eique, ſi animum & titulum oſtendat, rei poſſeſſionem cedendi.

§. 43.

Quibus in provinciis tabulæ, quas vocant, provinciales, prædiales, libri civici cenſus & fundorum, aut alii generis hujus publici commentarii habentur, ut rite fiat juris realis in re immobili fundove traditio, actus tradendi traditive juris libris publicis & commentariis neceſſario

in-

inscribitor; ni factum fuerit, justa possessio non adquiritur.

§. 44.

Res mobilis progressu temporis pluribus tradita, ejus est, qui rem ipsam tenet & possidet: si sit immobilis, & publici prædiorum libri in provincia exstent, jus possessionis ejus solius est, quem libri prædiales possessorem nominant.

§. 45.

Jus est naturale omnium in singulos fidei & famæ. Itaque nec qui detinet, nec qui possidet, ad editionem & probationem justi sui tituli obligatur.

§. 46.

Neque vero etiam obligatur, siquis contendat jus possidentis cum aliqua juris præsumtione, verbi gratia libertatis personæ aut rei certare; quo casu actor coram competente judice jus suum, quod fortius esse putat, periclitator: casu dubio possessor potior esto.

§. 47.

Rei prohibitæ, aut quæ furto ablata esse videtur, quatenus possessor edere & ostendere titulum obligetur, poenalibus & politicis legibus statuitur.

§. 48.

Qui rem, quam possidet, alterius esse domini nescit, is bonæ fidei; qui non ignorat, malæ fidei possessor est.

§. 49.

Bona vel mala possidentis fides contradicta & controversa sententia judicis distinguitur.

§. 50.

Possessori bonæ fidei ex ipsa possessionis fide bona licet re sic possessa pro arbitrio & citra culpam uti, frui, immo & cum rei pernicie & jactura abuti.

§. 51.

Quidquid utilitatis & commodi in re est, vel ab re redit, fructus plenissimo sen-

sensu rei omnis, perceptus aut consumptus, possessori bonae fidei cedit.

§. 52.

Malae fidei possessor & emolumenta ex aliena re quaesita, & ea, quae vero rei domino adquiri potuissent, restituere & datum omne damnum rependere tenetur; quod resarcitionis pretium non tantum verum rei & genuinum, sed & extraordinarium praedilectionis & adfectionis esse poterit.

§. 53.

Pecuniae in conservanda possessae rei substantia, aut in augenda continui usus fructus accessione impensae possessori bonae fidei restituuntor.

§. 54.

Quidquid ornandae rei, aut voluptatis caussa accessit, eatenus restituitor, quatenus vero & genuino rei pretio tantundem accesserit, quo facile emtorem inveniat: possessori etiam, quidquid vel

ad ornatum vel ad voluptatem adparaverit, quo uti adhuc possit, salva & inlæsa rei substantia tollere & auferre liceto.

§. 55.

Malæ fidei possessor non nisi impensam in conservanda substantia & meliore uberioreque rei cultura pecuniam jure repetito; siquidem quæsitum inde rei emolumentum & melioris culturæ fructus adhuc durent. At rei dominus ob repetitas in re impensas ad rem ipsam vendendam ne cogitor.

§. 56.

Injustus, attamen bonæ fidei possessor rem justo domino tradens damnum datum æstimato ordinario pretio sarcito; quin & ea, quæ §. 54. bonæ fidei possessori auferre fas est, tollere & sibi habere liceto.

§. 57.

Siquis rem ipsam possideat, alter vero jus in omnem usum fructum, vel partem usus fructus; pro diversitate partium plu-

res simul sunt & diversi rei unius possessores. Itaque qui modum in jure suo utendo excesserit, diverso respectu possessor bonæ malæve fidei uno eodemque tempore esse potest.

§. 58.

Possessorem qualiscunque notæ turbare & vi dejicere ne fas esto. Turbato & dejecto actio de non turbando, & damni, quod probari potest, datur.

§. 59.

Possessor rei immobilis, aut juris alius in re, exstruendo novo, aut diruendo ædificio antiquo, aquæ molimine, aut alio opere in jure suo læsus ab ædificante, qui ex codicis judiciarii præscripto in perficiendo opere contra possessorem læsum se non præmunierit, de nunciando sive prohibendo novo opere coram judice agito; judex caussam continuo dijudicato.

§. 60.

Inceptum novum opus vel ab ipſo judice prohiberi nequit, ſi ad avertendum imminens & manifeſtum periculum exſtruatur, aut ſi ædificans actori nunciationem & prohibitionem operis ſententia judicis forte impetraturo reſtitutionem in integrum promittat, & damnum infectum ſatisdet.

§. 61.

Si inchoatum opus nullo periculo interrumpatur, aut nuncians damnum interrumpendi interruptive operis caveat & ſatisdet; ædificans usque ad definitam ſententia judicis nunciationem ab opere deſiſtito.

§. 62.

Satisdante neutro, & cauſſa controverſa dubia & ancipiti, libertas utriusque naturalis eſt, & jus poſſeſſionis inoffenſum.

§. 63.

Si poſſeſſor juris in re vel ex opere jam facto, vel quacunque alia ex re ali-

ena

ena caduca & ruinosa damnum rei suæ imminens comprobet, neque securitati publicæ a potestate politica cautum aliter fuerit; damnum infectum satisdari sibi jure petito.

§. 64.

Jus est possessori se in suo possidendi jure tueri, & si judicis ope fieri nequeat, vim vi propulsare. At publicam tranquillitatem potestas politica procurato, vim publicam poenale judicium vindicato.

§. 65.

Qui in possessionem vi invadit, vel fraude vel precario & clam inrepit, & quod alterius indulgentia sibi usurpat, jus id sibi esse fingit; ex possessione injusta & malæ fidei vitiosam insuper efficit: ubi nec vi, nec clam, nec precario possidet, sincera & non vitiosa est possessio.

§. 66.

Læſo in poſſeſſorem vitioſum actio reſtitutionis in ſtatum priorem, & damni dati in mundo eſt. Reſtitutionem utramque judex pertractata in ordine cauſſa, neque ulla juris fortioris, quod reo in rem competere poſſet, habita ratione decernito.

§. 67.

Qui prior vi poſſeſſorem bonæ fidei adgreditur, vi dejicit, potiori etiam, ſiquod habuit, jure in re excidit, neque porro audiendus eſt.

§. 68.

Si inter duos ambigitur, uter ſine vitio poſſideat, ideoque jure potior ſit; res contradicta & controverſa fidei viri alicujus honeſti hactenus demandator, dum lis de poſſeſſione acta & finita ſit; qui judicio cadit, de jure ſuo, quod in re ſibi eſſe credat, potiori contendere porro ei liceto.

§. 69.

§. 69.

Res uni detenta, a multis simul atque etiam ab eo, cujus nomine detinebatur, repetita, huic præ ceteris a detentore traditor; factâ rei traditio, ceteris ostenditor. Si nullius nomine detenta erat, res in judicio deponitor; judex, rationes petentum examinato, dijudicato.

§. 70.

Rei corporalis depertitæ nulla cum spe inveniendæ illius & recuperandæ; sponte derelictæ & abjectæ; ex albo provinciali, civico, census & prædiorum expunctæ; in album alieno nomine inlatæ, seu quovis modo alterius possessoris factæ possessio amittitur.

§. 71.

Rei deperditæ, quæ inveniri & recuperari adhuc potest, possessio solo animo & voluntate retinetur: furor & absentia possessionem non minus quam somnus tollunt.

§. 72.

Rerum incorporalium seu jurium possessio amittitur, si, quae quis possessori praestitit, amplius non praestet; si exercendi & perferendi juris alieni impatiens sit; si interdicto possessoris aliquid omittendi amplius non moveatur, possessore ipso in omnibus his casibus retinendi & vindicandi juris sui incurioso & negligente. At solo juris non usu possessio non perit.

C A-

CAPUT III.

De jure dominii.

§. 73.

Quod proprium perſonæ eſt, res, ſupellex, bona, itaque corporalis & incorporalis res omnis, jura omnia dominium perſonæ conſtituunt.

§. 74.

Strictiori ſenſu dominium jus eſt in re corporali & facultas de ea libere diſponendi, atque alterum a re & uſu arcendi, ſalva legis & juris alterius reverentia.

§. 75.

§. 75.

Res corporales omnes, mobiles & immobiles materia & objectum dominii ſunt; & qui lege expreſſa non prohibentur, per ſemet ipſos & per alios nomine ſuo adquirendi dominii habiles ſunt.

§. 76.

Itaque qui vel in adquirente perſona, vel in re adquirenda legitimum impedimentum oſtendit, exceptionem ſuam jure comprobato.

§. 77.

Si jus in re corporali immobili cum jure utendi fruendi in una perſona conjungitur, dominium hoc vocatur plenum & indiviſum; ubi ita diviſum inter duas, ut altera jus in ſubſtantiam rei, altera omnem utilitatem ex re præcipue habeat, dominium diviſum & reſpectu amborum minus plenum eſt, atque hic rei dominus utilis, ille directus adpellatur.

§. 78.

§. 78.

Dominium, quamvis multis aliis modis lege aut voluntate domini circumſcriptum & oneratum, per ſe tamen indiviſum & plenum eſſe cenſetur; neque officit, ſi rei proprietarius ſub nexu terræ domini ſit.

§. 79.

Res indiviſa ſi duorum vel plurium propria ſimul ſit, in ſolidum omnes una eademque eſſe perſona finguntur, ſingulæve omnium perſonæ jus eſt in ſubſtantia uſuve rei, ergo & plenum in re portionis ſuæ dominium.

§. 80.

Plenum dominium liberrimum domino jus in re ſua tribuit, qua vel pro ſe libere uti, frui, aut alteri eam integram partemve ejus tradere, vel pro arbitrio non uti atque adeo renunciare ei ſimpliciter, eamque omnino derelinquere poteſt.

§. 81.

Jura eadem dominium minus plenum domino directo & utili tribuit, dummodo in exercendo jure ſuo invicem ſe nec impediant, nec lædant.

§. 82.

Juris dominii exercitium hactenus ratum eſt, quatenus nullius jus alterius infringitur. Leges politicæ, quæ conſervandi vel promovendi boni publici cauſſa jura dominii privata imminuere videntur, privata dominia re vera non minuunt, ſed fini publico & ſaluti omnium communi adtemperant.

§. 83.

Leges itaque politicæ rerum natura vel arte factarum, ædificiorum ſtruendorum, conſervandorum, reſtaurandorum, ſaltuum colendorum, alveorum & canalium, aquæductuum, atque aliorum operum publicorum ſtatutis ædilitiis, ſaltua-

riis

riis vel nundinarum aliisve descriptæ ratæ & sanctæ sunto.

§. 84.

Plenum quoque rei dominium, urgente & flagitante id bono communi omnium, dominus, compensato sibi nempe rei pretio, civitati concedito.

§. 85.

Jus dominii, a propria possidenda re alterum arcendi, actionem domino contra possessorem detentæ rei suæ vindicatoriam tribuit.

§. 86.

Actor rem a reo possessam, repetitam, suam esse comprobato.

§. 87.

Rei infinitæ, verbi gratia: equi in genere, neque dominium, neque possessio concipitur. Qui rem mobilem in judicio repetit, rem signis suis & indiciis definiat, quibus ab omnibus ejusdem generis rebus distinguatur.

§. 88.

Res, quae non diſtinguitur, uti pecunia ſeu nummi inter ſe commixti, chirographa aeris publica nomini exhibentis inſcripta actionem per ſe rei vindicatoriam non dant, niſi forte actor enato caſu aliquo fortuito & ſecundo jus dominii ſuum comprobet.

§. 89.

Res repetita mobilis, ſi ambigitur, an eadem res ſit, quae eſt in manu rei, unde petitur, actori, ſi volet, oſtenditor & in judicio inſpicitor: ubi neque de jure dominii aut detentionis quaeritur, actio ad exhibendum non dator.

§. 90.

Actor non quidem adquiſitum rei repetitae dominium, attamen juſtum titulum & modum adquiſitae non vitioſae poſſeſſionis comprobans hactenus verus eſſe rei dominus praeſumitur, niſi reus potius aut ſaltem idem eſſe in rem ſibi jus evincat.

§. 91.

§. 91.

Actor & reus si pari titulo possessionis non vitiosae nitantur, fortius esto jus rei; quod pari in caussa litigantium melior est conditio possidentis, & casu dubio, si petitionem actor non evincat, reus absolvitur.

§. 92.

In possessorem rei mobilis cum bona fide, si rem sub hasta aut a legitimo rerum similium mercatore emtam, aut ab eo, cui utendam, servandam aut quoquo modo & sine habendam actor crediderat, traditam sibi comprobet, actio priori rei domino nulla est: jus suum in rem aduersus primos auctores, ex quorum manu ad possessorem bonae fidei devenit, persequatur.

§. 93.

Si possessori vel ipsa rei adquisitae natura, vel pretio rei manifeste viliori, vel indole & conditione auctoris & prioris

rei posseſſoris ſuſpecta poſſeſſionis ſuæ fides fuiſſe comprobetur, poſſeſſor eſſe bonæ fidei deſinit, & domino rem repetenti jure inferior eſt.

§. 94.

Quodſi poſſeſſor talis rem gratis & pretio nullo quæſitam habeat, jus eſt & æquum, ut, qui lucrum captat, domino, qui nonniſi detrimentum vitat, poſthabeatur. Regula hæc ſimiles caſus omnes complectitur.

§. 95.

Poſſeſſor a domino rei directo & utili de poſſeſſione ſimul petitus partem utrique ſuam tradito.

§. 96.

Quantum vel bonæ vel malæ fidei poſſeſſor domino rei vel lucri ceſſantis vel damni emergentis reſtituere teneatur, priori capite definitum eſt.

§. 97.

Pretium a detentore auctori ſuo & priori rei poſſeſſori pro tradita ſibi re perſolutum neceſſario rei ſumtui non accenſetur; attamen rei furto aut præda ablatæ, pretio, ſi alio modo haud facile potuerit, liberatæ, domino utiliter reſtitutæ, pretium liberatori dominus rependito.

§. 98.

Qui nullum aut ſuſpectum auctorem priorem demonſtrat, comparatus cum rei domino malæ fidei poſſeſſor eſt.

§. 99.

Convictus negatæ doloſe poſſeſſionis de poſſeſſione ipſa decedito, eamque actori tradito; ſalvo ſibi jure dominii & actione juris ejus.

§. 100.

Qui ſimulata rei non poſſeſſæ poſſeſſione fucum actori domino facit, damni inde enati reus eſto.

§. 101.

Qui rem abs ſe poſſeſſam eludendæ actionis & petitionis cauſſa amovit, alienavit, uti poſſeſſor malæ fidei habetor, & quatenus rei dominus rem ab ipſo rei detentore non recuperarit, ſolvendo pretio rei extraordinario damnator.

CAPUT IV.

De adquirendo dominio per occupationem.

§. 102.

Absque titulo & modo legitimo dominium nullum esse potest.

§. 103.

In rebus nullius adquirendis libertas naturalis faciendi, quidquid alteri non nocet, pro titulo est. Modus eas adquirendi est actus, quo res talis nullo jure adfecta occupatur & detinetur.

 §. 104.

§. 104.

Rerum adquirendarum, quae alterius ſunt, titulus primus jus eſt commune omnium, quidquid alteri alter tradere vult, poteſt, aut debet, accipiendi & ſibi habendi. Modus eſt adquirendi facta & accepta traditio.

§. 105.

Itaque occupatio rei proximus & originarius, traditio & acceptio remotus & ab aliis derivativus adquirendi modus adpellatur.

§. 106.

Dominium ab origine repetitum poſſeſſione incipit; atqui ubi vel vitio perſonae vel rei poſſeſſio eſſe nequit; dominium ſimul nullum eſſe poteſt.

§. 107.

Itaque inter bonae fidei poſſeſſorem & rei dominum certum eſt diſcrimen. Poſſeſſori ſat eſt rem inculpato & innoxio errore, bona fide, juſto titulo & modo poſ-

poſſidere: dominus rem nullius, vacuam, nemini obnoxiam occupat, aut traditam a vero rei domino accipit.

§. 108.

Civitati in res omnes domino & jure vacuas primum eſt jus; itaque nulla in civitate res juris omnino vacua & omnium communis eſt; at res ſunt, quæ nemini hactenus adquiſitæ ſingulis jure ante alios potiori adquiri occupando poſſunt.

§. 109.

Ubi libertas dominii nulla lege politica circumſcribitur, liberum & integrum eſt domino fundi feras beſtias, quæ nullius ſunt & in agro ſuo vagantur, omni modo & tempore capere, occidere, occupare.

§. 110.

Itaque in ſilvis & vineis, agris & pratis ſuis feras venari, in rivo & lacu ſuo piſcari, in vacuo prædii ſui aëre aves

 ca-

capere & occidere, atque eo magis feras & rapaces beſtias a finibus ſuis arcere & fugare domino liceto.

§. 111.

Venari in alieno fundo, aut feram vulneratam perſequi, niſi cum privilegio principis aut indulgentia domini, nemini liceto; quod privilegium aut quæ indulgentia ſtricto ſenſu ſumi, neque ultra expreſſam permittentis literam & voluntatem extendi fas eſto.

§. 112.

Apum examina, animalia manſueta & domeſtica venatui & occupationi obnoxia non ſunto. Si caveæ dominus ſpatio bidui ſeu horarum quadraginta octo examen opum perſequi neglexerit, animal manſuetum profugum quadraginta duobus diebus ſponte non redierit, apes & animal cuique in agro publico, domino utili in ſuo occupare, detinere jus & poteſtas eſto.

§. 113.

§. 113.

In agris, qui nec universitatis, nec privatorum sunt, jus venationis, aucupii & piscationis est civitatis, aut illius, cui jus id conceditur.

§. 114.

Nimius ferarum numerus quomodo minuendus & caussatum ab iis damnum restituendum? cui personæ jus venationis competat? quale sit jus venandi majores & minores feras? qua ratione apes alienæ mellis prædatrices arceantur? cui columbas & volucres similes alere liceat? legibus politicis & statutis universitatum cavetur. Prædones & fures ferarum quomodo puniantur? legibus poenalibus sancitur.

§. 115.

Civi privato non licet metalla, salia, alumen, vitriolum fodere, coquere, parare, aurum & argentum eluere; quae

res

res earumve ſimiles ſpeciali lege patrimonio civitatis reſervantur.

§. 116.

Res mobiles a domino abjectas, derelictas occupare liberum cuivis eſto.

§. 117.

Quum nemo rem ſuam abjeciſſe & dereliquiſſe cenſeatur, rem præcipue, quæ facile e manu elabitur & perdi poteſt; ſi dubium ſit, res talis an derelicta & vacua ſit nec ne? repertor rei rem non quæſito nec explorato domino non detineto: multo minus jus, quod vocant, naufragii ſibi quisquam uſurpato.

§. 118.

Inventor rei itaque obligatur priorem rei dominum inquirere & perveſtigare, rem inventam, ſi uncia argenti major ſit, octonis diebus in templo loci, ubi reperta fuerit, populo pro concione denunciare: Si res reperta uncias argenti duode-

cim

cim exſuperet, caſum continuo judici proximo oſtendito.

§. 119.

Judex caſum nunciatum cum omni circumſtantia ſcripto conditum, præteritis ſingularibus rei inventæ ſignis, diariis publicis bina vel terna vice ſine mora notificato. Si res inventa in manu repertoris periclitetur; judex rem ipſam, aut ſi absque detrimento conſervari nequeat, rei venditæ pretium in manum ſuam avocato.

§. 120.

Si prior rei dominus poſſeſſorve anno uno ab ultima inventæ rei publica denunciatione compareat, & jus in re ſuum rite demonſtret; res aut rei pretium ipſi ita traditor, ut ad impenſas compenſandas, inventorique, qui id petit, decimam pro præmio perſolvendam obligetur, quod præmium nunquam quingentas argenti uncias exſuperet.

§. 121.

§. 121.

Rei inventæ intra annum legitime non repetitæ poſſeſſio inventori cedit, qui tanquam bonæ fidei poſſeſſor tempore legitimo juſtum rei dominium conſequitur.

§. 122.

Plures, qui rem ſimul invenerunt, una eſſe perſona cenſentur; atque etiam is, qui primus animum occupandæ rei oſtenderat, quamvis ab alio præoccupatæ, inter inventores habetur.

§. 123.

Quicunque legum harum negligens eſt, damnum conſequens & emergens omne præſtato; quas ſi inventor rei negligit, ſperato præmio excidit, & pro re nata falſi reus eſto.

§. 124.

Res defoſſa, in muro aut alio loco abſcondita, cujus dominus ignoratur, ſoli domino eodem modo, quo inventa, denunciator.

§. 125.

Si dominus ejusve hæres ſignis & notis rei externis proditur, domino hæredive res traditor, præſtito certe præmio §. 120. definito & denuncianti & fundi domino.

§. 126.

Res inventæ ſi pecuniæ ſint, gemmæ & pretioſi lapides aut alia gaza, quæ antiquitus recondita dominum non oſtendunt & quorum memoria non exſtat, theſaurus adpellantur & res ſunt vacua, in quam civitati primum jus eſt.

§. 127.

Tertia theſauri pars fisco ſeu patrimonio publico adjudicatur, altera tertia inventori, reſiduum fundi domino utili cedit, ſiquidem rem modo non inlicito invenerint, nec quidquam e legis præſcripto prætermiſerint.

§. 128.

§. 128.

Qui artibus vetitis theſaurum quæſierit, invenerit, aut inventum celarit, partis ſuæ in theſauro damnas eſto; pars ea delatori cedito. Idem judicium eſto inventori, qui neſciente & invito dómino utili theſaurum quæſierit, effoderit.

§. 129.

Mercenarii, ſi fortuitò theſaurum repererint, tertiam partem jure ſibi vindicant: ſi ad effodiendam humum inveniendi theſauri gratia mercede conducti fuerint, ſtipulata mercede contenti ſunto.

§. 130.

Præda in bello jure gentium hoſtibus ablata res non eſt vacua, ſed vel compenſando ſumtui publico civitati cedit, vel iis, quibus a belliduce, aut privilegio exercendæ piraticæ permittitur.

§. 131.

In prædam hoſti ablatam a victore intra præſidia ſua çonditam jus perit domi-

no

no priori: ſin prius recuperetur & recipiatur, jus domino permanet, ſalva tertia pretii rei captæ parte recuperatori perſolvenda.

§. 132.

Qui rem alterius ab imminenti periculo & interitu ſalvat, ut puta, qui ovem lupo eripit, rem quidem ipſam non adquirit, at jus ſibi eſto a rei domino æquam indemnitatem, aut aptum & juſtum pro labore præmium duplicis viceſimæ repetere.

CAPUT V.

De adquirendo dominio per accessionem.

§. 133.

Accessio est omne rei mobilis seu immobilis incrementum, quod in re nascitur, aut rei recens adjungitur, ita ut rei domino ab altero traditum non sit.

§. 134.

Accessio & incrementum seu natura seu arte, sive utraque factum novus adquirendi modus non est, sed justus possessionis & dominii effectus.

§. 135.

§. 135.

Fructus fundi naturales, quos terra nullo labore & cultu ſollicitata fundit, herbæ, fungi & ſimilia fundi domino adcreſcunt: commodum omne & utile ex animali natum domino ventris accedit.

§. 136.

Pecoris dominus a pecore alterius foeti, ni pacta merces ſit, nullam duito. Damnum in ſimili foetura culpa alterutrius datum, qui dedit, luito.

§. 137.

Agger, tumulus, inſula in medio fluminis privati alveo nata, derelictus a flumine alveus agris dominorum utrique litori conterminis pro rata parte accedit: ſi inſula in hac vel illa alvei parte enaſcatur, domino propinquioris litoris accedit.

§. 138.

Si raro & ſicco flumine aut in plures alveos imminuto inſulæ efformentur, aut

vis aquarum campos & agros inundet; jura prioris dominii ſarta tecta ſervantur.

§. 139.

Quod in inſulis in privato flumine natis obtinet, jus idem eſto de inſulis, quae publico in flumine exſiſtunt, ſiquidem adjacentes agri litori utrique contermini & arcifinii ſint.

§. 140.

Quidquid terrae temporis tractu litori alieno pedetentim & latenter adluitur, litoris poſſeſſori cedit.

§. 141.

Si grandior terrae portio vi fluminis avulſa alieno litori invehatur, jus dominii, ni ſpatio unius anni exerceatur, poſſeſſori priori perit.

§. 142.

Si adjacentes ripae agri ſulco & margine incluſi aut finita menſura diſtincti ſint; enata recens inſula, alveus a flumine derelictus, & quidquid adluvione ter-

tae

tæ increvit, juris publici eſto aut ejus, cui a principe civitatis conceſſum fuerit. Quod ex definita agri menſura deeſt, ex adluvione facta aut incremento enato ſarcitor.

§. 143.

Poſſeſſori fundi jus & poteſtas eſto litus ſuum contra vim & periculum fluminis munire, & defendere; aſt quæ uſum fluminis mutant, navigationi, molis, piscationi aut juri alterius officiunt, munimenta, aggeres & arboreta inſtruere, nefas eſto: In ſumma qualiacunque generis ejus opera ſine arbitrio & permiſſione poteſtatis politicæ adparanda non ſunt.

§. 144.

Liberrimum eſt unicuique rem ſuam quolibet modo pertractare, laborare, colere, efformare, & meliorem & pretioſiorem facere.

§. 145.

Qui rem alienam efformat, rei dominium ideo non adquirit. Itaque qui in

tabula aliena pingit, in aliena charta ſcribit, metallum alienum, marmor, argillam, ſericum, lanam, linum & quamcunque materiam alienam laborando effingit, rei & materiæ dominus nec eſto.

§. 146.

Neque vero, qui rem ſuam cum re aliena confundit & miſcet, dominium confuſæ & permixtæ rei totius adquirit.

§. 147.

Si unitæ, confuſæ & permixtæ res ſejungi iterum & ſecerni poſſint, pars ſua & quod cuique ſatisfactionis nomine debetur, redditor. Sin reduci & reſtitui nequeat, res communis utrorumque fit, atque ei, cujus voluntate & opera adjunctio facta eſt, bona malave fides ſua prodeſt vel obeſt.

§. 148.

Materia aliena in re reparanda mobili inſumta communis non eſto: domino

rei,

rei, cui reparandæ insumta fuit, cedit, atque hic, pro ratione bonæ aut malæ suæ fidei, insumtæ materiæ domino priori solitum & commune, vel extraordinarium & adfectionis pretium solvito.

§. 149.

Qui in fundo proprio solidum ædificium materia aliena exstruit, ædificii quidem dominus esto, auctorem vero, a quo caussam habet, nominato: auctor si impar sit solvendæ materiæ, aut gratis eam & pretio nullo dederit, læso damnum ædificans, si bonæ fidei sit, pretio communi & solito sarcito.

§. 150.

Si nec auctorem edere ædificator possit, nec bona fide egerit, materiam pretio maximo solvito, atque aliud damnum omne caveto.

§. 151.

Siquis converso casu propria materia in fundo alieno nec sciente nec volente

domino inaedificaverit; aedificium fundi domino cedit: aedificanti vero pro ratione possessionis suae sumtus necessarios & utiles repetere vel ipsam materiam modo fundi innoxio tollere & auferre jus esto.

§. 152.

Si aedificium in fundo alieno aliena materia exstructum sit, dominium ejus domino fundi accedit; aedificans damnum omne culpa sua datum & fundi & materiae domino praestato.

§. 153.

Fundi dominus, ne damno alterius locupletior fiat, aedificatori bonae fidei aut necessarios & utiles sumtus rependito, aut fundum sive ejus usum fructum justo pretio tradito. Aedificanti cum mala fide pretium materiae, aut ipsa materia innocue auferenda conceditor.

§. 154.

Quæ de ædificiis aliena materia exſtructis hactenus ſanciuntur, eadem jura ſunto de agro ſemine alieno aut alienis plantis ſato. Tale incrementum beneficio naturæ & induſtria humana quæſitum ſatione & plantatione res fundi immobilis fit, ſiquidem plantæ radices egerint.

§. 155.

Dominium arboris non e radicibus in fundum contiguum actis, ſed ſtirpe & trunco e ſolo prominente æſtimatur: ſi truncus in finibus dominorum plurium hæreat, arbor plurium communis eſto.

§. 156.

Fundi domino licet alienæ arboris radices in fundo ſuo diffuſas evellere, ramos in äere ſuo pendentes putare, vel iis pro voluntate uti.

§. 157.

Poſſeſſor malæ fidei datum damnum reſtituendo a poena lege pænali ſtatuta neutiquam liberatur.

CAPUT VI.

De adquirendo dominio per traditionem.

§. 158.

Res alienæ non nisi modo derivativo ita adquiruntur, ut ab domino in accipientem trasferantur.

§. 159.

Titulus omnis rei ab altero adquirendæ animo & voluntate tradentis & accipientis, modus adquirendi re juste tradita & accepta continetur.

§. 160.

Mutua tradentis & accipientis voluntas in re etiam eſt, quæ vel lege, vel teſtamento, vel judicis ſententia ſeu adjudicatione in alterum transfertur.

§. 161.

Voluntas etenim vel conceptis & expreſſis verbis, vel tacite ſignis & actu, vel lege explicatur.

§. 162.

Judex nemini nova jura creare poteſt, at quæ unius cujusque ſunt, jura tueri, dubia & controverſa definire debet.

§. 163.

Mente capti, minores, prodigi publici, & quos ſeu natura ſeu lex a gerenda re ſua prohibet, rei alienandæ ſuæ jus nec exercento: in re omni alienanda aut a procuratore, aut ſi gravis et ponderoſa res ſit, ab ipſo judice procurantor.

§. 164.

§. 164.

Res mobiles duplici modo alienantur vel corporali traditione de manu in manum, vel re non tradita ſola tradentis declaratione, ſe rem accipientis nomine conſervare velle, qua declaratione accipiens dominium rei adquirit, quæ in auctoritate & manu prioris domini relinquitur.

§. 165.

Res transmiſſæ, acceptæ, traditæ ſunt: quamvis non acceptæ, ſi ab accipiente transmittendi modus præſcriptus aut adprobatus fuerit, traditæ eſſe cenſentur.

§. 166.

Res mobilis a domino duobus ſimul alienata, uni tradita, alteri promiſſa, poſſidenti cedit; neutri tradita, qui prior adquiſivit, potiori jure eſto. Quem fruſtratus eſt, indemnem dominus præſtato.

§. 167.

§. 167.

Cum rei dominio jura omnia in re adquiruntur. Jura, quæ perſonæ tradentis inhærent, tradi nequeunt. Quod cuiquam jus in re non eſt, tradere certe non poteſt.

§. 168.

Rerum adquiſitarum §. 92., quarum dominium non a rerum ipſarum domino, ſed ab aliis perſonis & auctoribus in poſſeſſorem bonæ fidei tranſit, jus non ab inlegitimo rei poſſeſſore, ſed a lege ipſa, quæ fidem commerciorum tuetur, derivatur.

§. 169.

Rei diverſo quidem, ſed habili utrinque titulo & mutua voluntate traditæ & acceptæ alienatio & adquiſitio juſta & rata eſto.

§. 170.

Itaque ſi dominus rem ſuam gratis & ſine pretio alteri tradidiſſe; cui tradita

eſt,

eſt, is pretio ſe adquiſitam adquirendamve accepiſſe crederet: rei dominium, ſi nihil obſtet, a tradente in accipientem transfertur, quod idem inter utrumque animus, eadem voluntas & tradendæ & adquirendæ rei interceſſerat.

§. 171.

Si, cui tradita res eſt a domino cum animo ſolum rei uſum tradendi, is acceptæ rei dominium adquiſiviſſe ſe credat; aut ſi cui dominus rem dono miſerit, quam, qui accepit, depoſitam ſibi & fidei ſuæ commiſſam crediderit: primum rei dominium, deficiente in tradente & accipiente habili titulo, non immutatur.

§. 172.

Rerum immobilium dominium neque ſola domini voluntate, neque conſequente traditione & acceptione adquiri poteſt: ſupereſt, ut traditæ & accep-

tæ libris publicis, ſeu commentariis ad hanc rem comparatis notentur.

§. 173.

In alienandis & adquirendis prædiis ruſticorum ſat eſt, ſi tradens & accipiens, ſive tantum is, qui tradit, coram judice prædii competente ſe ſiſtat, & factam faciendamve adquiſitionem in libros prædiales, & ubi ejusmodi libri in uſu non ſint, ad acta judicii referri curet. Non comparente eo, qui tradit, aut ubi de prædiis urbanis vel ad tabulam provincialem pertinentibus agitur; ipſum adquiſitionis negotium inſtrumento pactionis deſcriptum ab tradente & accipiente, & viris duobus teſtibus fide dignis confirmator.

§. 174.

Inſtrumento perſona, quæ rem tradit, & quæ accipit, res adquiſita finibus ſuis deſcripta, titulus adquiſitionis, tem-

tempus, locus confecti negotii adnotator.

§. 175.

Si justum rei adquisitæ adquirendæve instrumentum ad acta judicii vel in tabulas prædiales referri & inscribi scripto petatur, relatio ipsa sine mora instituitor, ejusque exemplum seu apographum tradenti absenti in manus insinuator, ut, si videatur sibi, factam relationem seu inscriptionem impugnare, & quæ contradicit, itidem exhibere & ad acta referre, atque ut auctorem contradictæ inscriptionis ad probandam caussam suam provocare possit.

§. 176.

Ad impugnandam ejusmodi relationem tradenti, si in foro judicii commoretur, terminus triginta dierum; si in eadem provincia sit, quadraginta quinque dierum; si extra provinciam quidem, at in finibus civitatis sit, sexa-

ginta dierum; ſi in provincia alienæ ditionis exſiſtat, nonaginta dierum conceditur: quo tempore nunquam prorogando relatus in tabulas prædiales rei acceptor rem acceptam damno tradentis neque alienato, neque oppignorato.

§. 177.

Præterea qui jure ſe aliquo niti credat contradicendæ ejusmodi relationis & inſcriptionis, fas & poteſtas unicuique eſto, per tres annos a facta inſcriptione reſciſſionem ejus in judicio petere: modus actionis ejus idem qui reliquarum actionum eſto. Atque hæc omnis norma eſto jurium realium, quæ traduntur & accipiuntur, in libros prædiales referendorum.

§. 178.

Res immobilis diverſis perſonis a domino tradita ejus eſto, quæ juris ſui quæſiti relationem in libros prædiorum prior impetraverit.

§. 179.

§. 179.

Eadem legis ratio esto juris dominii in re immobili judicis sententia, quæ in rem judicatam transiit, instrumento communis dividundi, aut danda a judice hæreditate definiendi. In summa fundus & prædium nisi beneficio & ope librorum publicorum a nemine adquiri, neque qui his libris tanquam dominus inscriptus non est, in alterum ab eo transferri potest.

§. 180.

Ad adquirendum fundi legati dominium non sufficit, ut testamentum ipsum in libros publicos relatum sit: legatarius separatam fundi legati inscriptionem a judice petito.

§. 181.

Cum dominio rei immobilis & onera inhærentia libris publicis adnotata transeunt; qui libros hos non inspicit, sui ipsius negligentia arguitur. Quæ non

adnotata a priore rei domino repetuntur credita ſeu jura, in adquirentem non tranſeunt.

§. 182.

Quamprimum inſtrumentum traditi acceptique dominii in tabulas prædiorum provinciales, urbanorum aut ruſticorum relatum eſt, novus rei dominus juſtam adquirit poſſeſſionem: ſed per tres annos nec ultra novum ejus in re dominium contradici & impugnari lege poteſt.

§. 183.

Alia ratio eſt inſtrumentorum, quæ in tabulariis judiciorum & commentariis reponuntur. Quum ſæpe vel incompoſita horum ſerie vel alia ratione nec commodum & perdifficile ſit ea inſpicere atque iis uti: inſtrumenta talia, & quod iis probatur, dominium termino præſcriptionis demum infra ſtabiliendo civilem ſuum effectum & ſecuritatem ſortiuntur.

§. 184.

§. 184.

Dominium in genere voluntate domini, lege, ſententia judicis amittitur: prædiorum vero dominium, quod in prædialibus libris adnotatum eſt, eraſo & deleto domini nomine tollitur.

§. 185.

Deletio hæc in inſtrumentis in judicio ſimpliciter depoſitis haud obtinet. Itaque qui fundum, cujus inſtrumentum in judicio adſervatur, poſſeſſione captum tute adquirere ſibi cupit, is omnes, quibus aliquod in re jus eſſe videatur, pro judicio citato, eamque citationem tribus edictis publicis per nonaginta dies æquis vicibus repetito.

CAPUT VII.

De jure dominii diviso.

§. 186.

Quo tempore res modo originario & proximo adquiritur, rei dominium neque divisum, neque limitatum, neque oneratum esse potest. Nascuntur hi modi dominii vel arbitrio & voluntate domini, vel lege.

§. 187.

Jus in substantia rei a jure in usu rei & fructu secernitur in solis fundis & praediis, quae vario & directi & utilis domini respectu varia sunt, & praecipuo nomi-

nomine prædii censitici, feudi, locationis perpetuæ & hæreditariæ, emphyteuseos veniunt.

§. 188.

Fundi domini pro ratione prædiorum, vel beneficii & feudi, vel prædii perpetuo locati conducti, vel emphyteuseos domini directi seu soli domini; utentes, vasalli, coloni perpetui & emphyteutæ seu coloni vocantur.

§. 189.

Feudum est fundus & prædium, cujus dominus utilis in clientela domini sui directi est, eique peculiarem fidem & fidelitatem debet, quam damna omnia cavendo, & certa servitia præstando præstat.

§. 190.

Quum præstationes feudales tam variæ sint, quam ipsa sunt feuda, necessarium & primum est, ut jura & obligationes domini feudi directi & utilis ad-

curate definiantur. Caſus dubii in inveſtituris non ſatis diſtincti jure feudali definiuntur.

§. 191.

Prædium perpetuo locatum conductum dominium in re utile conſtituit, quod cum jure hæreditario traditum alteri eſt ea lege, ut uſum rei & fructum annua mercede ſeu penſione pecuniæ, fructuum vel æqua operarum præſtatione redimat.

§. 192.

Si penſio in recognitionem dominii fundi directi penditur, prædium eſt emphyteuticarium & ſerviens.

§. 193.

Diviſo dominio ita, ut uni ſubſtantia fundi cum uſu internæ terræ ſuperficiei, alteri uſus tantum & fructus ſupernæ ſuperficiei jure hæreditario pertineat, penſio annua a ſuperficiario præſtanda merces ſoli ſeu ſuperficiei eſt.

§. 194.

§. 194.

Fundi perpetuis colonis locati conducti, & prædia emphyteutica in hæredes omnes a ſucceſſione expreſſe non prohibitos tranſeunt.

§. 195.

Rei immobilis diviſum dominium æque ac plenum non niſi relato in libros publicos & prædiorum catalogos traditæ & acceptæ inſtrumento adquiritur: habilis titulus in neminem niſi in eum, qui ſe obligavit, neque uti jus aliquod in re efficax eſto.

§. 196.

Jura dominii utilis & directi ita conveniunt, ut liberum utrique partis ſuæ arbitrium & poteſtas ſit, ſalvo alterutrius jure.

§. 197.

Licet utrique partem rei ſuam in judicio perſequi, oppignorare, legare, aut inter vivos alienare; qui alterum in

jure ſuo impedire intendit, jus ſuum potius inſtrumentis, inveſtituris & ſimilibus comprobato.

§. 198.

Jus eſto domino rei directo omnem rei imminutionem & mutationem, quæ juris exercitium ſui aut eludit aut impedit, utenti domino interdicere.

§. 199.

Itaque poſcere jure poteſt, ut domum prædialem cum agris emphyteuta ipſe poſſideat, agros ſervet & colat, ut colonus alius vel emphyteutes in prædium inducatur, ſi prior ad præſtenda onera fundi inhærentia incapax ſit.

§. 200.

Præcipuum jus eſt domini directi locationis perpetuæ & hæreditariæ vel emphyteuseos in percipiendo canone ſeu penſione annua, & exigendis præſtationibus debitis, quæ neque augeri ratione ulla, neque de re mobili ad fundum non

per-

pertinente, neque adeo ulla alia de re mobili exigi jure possunt.

§. 201.

In regula rei divisae dominus alteri in casum fortuitum non obligatur. At colono perpetuo haereditario belli clade, peste, vitio anni & sterilitate graviter laeso justa mercedis debitae indulgentia conceditor.

§. 202.

Emphyteutae similis indulgentia non prodest: quoad pars fundi emphyteutici exstat, pensionem per se se modicam seu canonem pendito. Si fructus tantum naturales pro canone pendat, anno uno non plus pendito, quam quod in agro emphyteutico creverit.

§. 203.

Quatenus jus aliquod praecipuum prae reliquis creditoribus soli dominis pro securitate petitionum, quae ex jure soli

do-

dominico oriuntur, lege concessum est, codice judiciario definitur.

§. 204.

Si pensionem emphyteuta die praefinita non solvit, jus est domino directo usum rei & fructum in id, quanti interest, repetere & sibi satisfacere.

§. 205.

Domino directo coloni perpetui, si per annum integrum merces locationis non pendatur, liberum est vel usum praedii & fructum in judicio petere, vel praedium ipsum hastae publicae in foro subjici.

§. 206.

Si de praedio ambigitur, an perpetuo & haereditario jure locatum conductum, an emphyteusis sit? pensio annua aliaequae praestationes debitae rem declarant. Si canon aliaeque praestationes cum vero fructu & usu annuo comparatae pertenues, & multum sint inferiores, emphyteu-

teuſis eſt: aſt ſi ratio aliqua penſionis illarumque præſtationum cum uſufructu annuo rei antiquitus, & penitus incultæ traditæ & acceptæ cogitari, & iniri poſſit; perpetua & hæreditaria conductio locatio eſt.

§. 207.

Emphyteutæ jus eſto rem ſuam alienandi absque conſenſu domini directi, aut ullo hujus jure pro timiſeos aut retractus.

§. 208.

Quodſi dominus directus talem conſenſum & jus expreſſis verbis ſibi reſervarit; continuis triginta diebus a denunciatione propoſitæ venum rei rite ſibi facta mentem & voluntatem ſuam aperito, quo ſpatio elapſo conſenſus ejus tacitus & datus eſſe præſumitur. Ceterum conſenſum talem niſi ob manifeſtum ſubſtantiæ periculum non denegato.

§. 209.

§. 209.

Sportula, quæ domino directo non nunquam ab novo domino utili ob possessionis mutationem inter vivos debetur, laudemium, quæ mortis caussa debetur, mortuarium, & communi nomine arrha mutationis, seu honorarium investituræ adpellatur. An jura hæc, & quantum valeant? publicis libris & instrumentis definitur.

§. 210.

Ubi nec publici prædiorum libri nec instrumenta exstant, possessio triginta annorum non interrupta nec interpellata pro casu præterito jus ipsum constituunt, quod jus domino rei directo perimitur, si tribus a promulgata hac lege annis defectum hunc non sanaverit. Jura libris prædialibus non notata alteri per se non officiunt.

§. 211.

Dominus rei directus pro ſua ſorte domino utili evictionem præſtato: conjuncto iterum conjungendove uſufructu cum rei ſubſtantia domino utili vel ejus ſucceſſori non ſecus ac alteri bonæ fidei poſſeſſori meliorationes factas rependito: librorum ſuorum & adverſariorum in emphyteuſi geſtorum jus legitimum caveto.

§. 212.

Onera alia dominus directus nec recipit, nec cavet. In ſumma quod juris utili domino non eſt, in alterum transferre nec poteſt. Jus itaque unius cum jure alterius exſtinguitur.

§. 213.

Quum utili domino utilitas omnis & ordinaria & extraordinaria competat, juſta etiam portio theſauri inventi ipſi debetur. Quin & ſubſtantiam utendo minuere, ſi alia rei utendæ ratio non ſit, jus & fas ſibi eſto.

§. 214.

§. 214.

Qui mercedem ſoli ſive ſuperſiciei præſtat, ſolo jure uſus fructus ſuperficiei: ut puta, arborum, plantarum & ædificiorum, atque etiam partis ſuæ theſauri in extima terræ facie inventi jure gaudet: theſauri defoſſi & in fundo abſconditi, aliæque utilitates ſubterraneæ ſoli domino fundi directo cedunt.

§. 215.

Obligationes domini utilis legitimis domini directi juribus ex æquo reſpondent; inprimis canon ſeu penſio annua a prima die Novembris in medium Decembrem, ni pactum aliter ſit, præſtator.

§. 216.

Dominus utilis præterea fert onera omnia ordinaria & extraordinaria fundo inhærentia, pendendo tributum, decimas, & quidquid libris prædialibus prædio injunctum oſtenditur. Canoni ſeu penſioni annuæ, quod imputatum vel inter-

terdicto vinctum eſt, domino fundi directo imputatur & incumbit.

§. 217.

Novus dominus utilis inſtrumentum ſeu litteras renovati utilis dominii ab domino directo petito. Communitates ſeu univerſitates & aliæ perſonæ morales, quæ non mori finguntur, omni decennio inſtrumentum ejusmodi ſive inveſtituram impetranto. Quæ qui petere per tres annos neglexerit, inſtrumentum & literas inveſtituræ quadruplo ſolvito.

§. 218.

Quod priori capite de amittendo pleno dominino edictum eſt, de diviſo quoque edicitur. Si utili domino ſucceſſor legitimus non ſit, utilitas rei cum ipſa fundi ſubſtantia iterum conjuncta, expunctis debitis, quæ nullo alio ex capite ſolvi poſſunt, in dominum fundi directum revoluta revertitur.

§. 219.

Uſus ſuperficiei exciſis plantis, arboribus, ædificiis dirutis non amittitur, quoad pars fundi reſtat poſſeſſori utenda, implantanda, ædificanda, & canon annuus rite perſolvitur.

§. 220.

Canon continuus, ſeu penſio annua, quæ ex fundo vel ædificio præſtatur, diviſum dividundumve rei dominium non arguit aut inducit. Ni utile rei dominium ab ipſa rei ſubſtantia diviſum manifeſte appareat, poſſeſſor rei cum bona fide plenus eſſe rei dominus præſumitur.

§. 221.

Siquis rem ſuam immobilem alteri pro annua penſione uti propriam cedit, aut ab ipſo rei domino jus annuæ penſionis præſtandæ adquirit; ejus, qui penſionem pendet, plenum rei dominium eſto. Primo caſu conſentiente utroque ceſſat penſio; caſu ſecundo debitor contractam

pen-

penſionem redemtori in ſpatium ſemeſtre renunciare, eamque vel ſoluto redemtionis pretio, vel, ſi pretium id ignoretur, media, quam vocant, taxa ſive æſtimatione perſoluta liberare poteſt.

CAPUT VIII.

De jure pignoris.

§. 222.

Res a debitore creditori in ſecuritatem crediti legitime tradita pignus eſt.

§. 223.

Res omnis, quæ eſt in commercio, oppignorari poteſt; ſi mobilis ſit, pignus proprie & in ſpecie adpellatur: ſi ſit immobilis, hypotheca eſt.

§. 224.

Jus in pignore ſibi ſatisfaciendi, ſi debitum rata die ſolutum non ſit, jus adpellatur pignoris, & pro ratione rei oppignoratae, cui inhaeret, jus eſt pignoris proprie dicti vel jus hypothecae.

§. 225.

Jura haec realia ſunt, & non modo contra pignorantem, ſed in quemvis rei pignoratae poſſeſſorem exercentur.

§. 226.

Jus pignoris creditum, ſed non omne creditum jus aliquod pignoris ſeu exigendae & praeſtandae cautionis involvit, quae vel lege, vel ſententia judicis, vel voluntate domini pacto ſeu teſtamento nitatur, oportet.

§. 227.

Quando lex creditori jus pignoris tribuat? loco ſuo recenſetur: quae vero ad legitimationem ad jus pignoris attinent, & quatenus judex pignoris jus concedere

posſit? codice judiciario definitur. Quomodo vel voluntate debitoris, vel alterius, qui rem ſuam pignori pro debitore dandam interponit, jus pignoris adquiratur? legibus pactorum & teſtamentorum præſcribitur.

§. 228.

Ut jus pignoris adquiratur, creditor titulo habili inſtructus rem pignoratam, ſi ſit mobilis, traditam & acceptam adſervato: ſi ſit immobilis, creditum modo ad adquirendum in prædiis dominium ſupra deſcripto inſeri facito: nudus titulus jus perſonale ad rem, non reale in re conſtituit.

§. 229.

Si conſtituto jam pignoris jure creditum poſtea naſcatur; aut ſi pignus capiatur, prius quam pignorans liberum rei oppignoratæ oppignorandæve dominium adquiſiverit; jus pignoris ratum eſto ab eo tempore, quo creditum natum fuerit,

aut

aut pignorans liberum rei dominium adquisiverit.

§. 230.

Res aliena invito domino oppignorata in regula jure vindicator: si actio dominii in re contra possessorem bonæ fidei institui nequeat; dominus aut pignoris possessorem bonæ fidei indemnem præstato, aut pignus relinquito & actione damni persequutoria in debitorem regreditor.

§. 231.

Si creditum, res promercalis seu propolæum, naves, merces invectæ & similes res mobiles, quæ non de manu in manum, sed signis & notis tradi & accipi solent, oppignorantur; ea est ratio ineunda, ut oppignoratio cuique innotescere, & alteri damnum cavere in promtu sit: negligens hac in re damnum consequens sibi imputato.

§. 232.

Qui in accipiendo pignore ſuperinducto, quod nimirum alteri jam oppignoratum eſt, periculum vitare cupit, pignus ipſum ſive rem pignore datam tradi ſibi, aut conſtitutum ſibi & ſuperinductum pignoris jus in pignore eo libris publicis inſcribi curato, admonito pignoris poſſeſſore, cui, quod debet, non niſi ſciente & volente eo, cui jus eſt pignoris in pignore ſuperinductum, ſolvere liberum eſto.

§. 233.

Qui creditum fundo libris publicis notari facit, ei omnes fundi in libero pignorantis dominio conſtitutæ partes, atque ita fructus a fundo nondum ſeparati aut percepti pignorantur. Itaque ſi creditori debitor prædium ſuum, alteri poſtea fructus ejusdem hypothecæ oppignorat, poſterior oppignoratio non niſi

in

in fructus jam ſeparatos & perceptos efficax eſto.

§. 234.

Jus hypothecæ libris publicis inſcriptum juri pignorantis ex æquo reſpondet, neque juri publico tributorum & vectigalium, nec juri domini fundi directi privato in canonem emphyteuſeos & alias præſtationes reales, aut juri prioris creditoris libris publicis inſerti officit.

§. 235.

Vis & effectus prioritatis jurium ſupra recenſitorum tam publicæ rei, quam domino fundi directo competentium ultimis tribus annis includitur. In foenore & uſuris cum capite pecuniæ ſtipulatis eadem lex eſto; uſuræ ex mora præcipuo jure nullo ſunto.

§. 236.

Si ob vitium in forma inſtrumenti legitima crediti in libros publicos relatio locum non habeat, creditum prænotari

ſimpliciter creditor a judice petito, ne, dum cauſſa definitur, jus ſuum jure alterius prævertatur; qua prænotatione jus pignoris conditionatum adquirit, quod victori cauſſæ, ſive ei, cui creditum adjudicatur, a die factæ prænotationis verum jus pignoris conſtituit.

§. 237.

Facta prænotatio parti utrique impetranti ſcilicet & adverſario in manum inſinuator. Impetrans quatuordecim diebus ab inſinuata ſibi prænotatione actionem ad comprobandum creditum continuo inſtituito: ni faciat, impetrata prænotatio petente debitore expungitor.

§. 238.

Solo eo caſu, quo pignoris pretium ſine culpa creditoris imminutum cavendo credito amplius non ſufficiat; meliorem cautionem & ſecuritatem a debitore creditor jure petito: ſponſorem tertium, qui pro primo debitore pignus e re ſua

inter-

interpoſuit, ni ita ſe obligaverit, ad melius cavendum adigere fas non eſto.

§. 239.

Si debitor errore & inconſulto nimium & exuberans pignus dederit, ſecuritatem aliam aptam & congruam præſtare liberum ſibi eſto.

§. 240.

Si debitum lapſo tempore definito ſolutum non ſit, creditor in debitorem ex pignore agito, pignus venundari petito: judex in cauſſa lege & ordine judiciario agito.

§. 241.

Creditori pignoratitio unicuique prænotato ante publicationem rei oppignoratæ creditum, ob quod publicatio rei ejus quæſita fuit, redimere fas eſto.

§. 242.

Creditores hypothecarii ſingillatim ad rei futuram ſubhaſtationem, dicta die, vocantor. Creditoribus non vocatis,

ſec-

ſector, ſeu qui rem ſub haſta emit, creditum libris publicis notatum pro ratione poſſeſſionis ſuæ caveto.

§. 243.

Debitori jus non eſto rem a ſe oppignoratam ſub haſta licere.

§. 244.

Creditum e pignore vendito non liberatum debitor ſarcito: quod pignori vendito & debito ſoluto ſupereſt, debitori cedit.

§. 245.

Invito pignorante creditor pignore non utitor; pignus cum cura cuſtodito; quod culpa ſua damni & intertrimenti fit, caveto; pignus ſine culpa ſua amiſſum jus crediti non tollit.

§. 246.

Si res pignorata perit, ſi creditor juri in rem ſuo legitime renunciat, aut debitori eam ſimpliciter & ſine clauſula reſti-

ſtituit, exſtincto quidem jure pignoris jus crediti viget.

§. 247.

Jus pignoris tempore, quo finitum erat, exſtinguitur; conſequens eſt, ut & cum jure, quod pignoranti ad tempus in re pignorata erat, exſtinguatur, ſiquidem conditio hæc & clauſula juris temporarii creditori nota erat, vel ex libris publicis nota eſſe poterat.

§. 248.

Sed ſolus temporis lapſus nec creditorem impedit, quominus recepto credito pignus reſtituat, nec debitorem, ut recepto pignore debito ſatisfaciat.

§. 249.

Debitum perſolutum jus hypothecæ non tollit, quod eousque viget, dum notatum & inſcriptum in libris publicis debitum expungatur.

§. 250.

§. 250.

In ordine pignorator pignoranti obligatur ad reſtituendam, ſoluto debito, rem oppignoratam. At jus retinendæ rei & novi in ea pignoris creditori pro rata competit, quatenus jus id alio juſto, & jam caduco credito fundare poſſit. Jus idem, ſervata rationum paritate, poſſeſſori bonæ fidei unicuique eſto.

§. 251.

Quodſi jus pignoris expreſſis verbis certo aliquo tempore circumſcriptum ſit, exacto hoc tempore, privato nemini per ſeſe, ſed a judice conſtituitur.

§. 252.

Contra fortius alterius jus aut poſt factum creditorum concurſum etiam pignus judiciale effectu nullo eſt.

CAPUT IX.

De ſervitutibus.

§. 253.

Jus ſingulare in re ſingulari non ſecus ac plenum & diviſum dominium traditur & adquiritur vel voluntate domini vel lege, qua naturalis libertas de re ea diſponendi plus minusve reſtringitur.

§. 254.

Dominus nempe in re utenda ſua obligari poteſt vel pati aliquid vel non facere ad utilitatem alterius; quod ſi fit, naſcitur ſervitus, qua jus unius & obligatio alterius exprimitur.

§. 255.

§. 255.

Quod utile alteri, damnoſum nemini ſit, id & pati & non facere ipſo jure naturæ etiam absque ſervitute exigi poteſt: quod, ſi admonitus, petulanter & ratione nulla recuſet, jure cogitor. Neque enim invidiæ aut malevolentiæ patrocinatur lex.

§. 256.

Res ſervitute adfecta ſervit ei, in cujus utilitatem rei libertas aut dominium reſtringitur. Quum libertas & dominium rei modis innumeris circumſcribi & reſtringi poſſit, conſequens eſt, ut ſint ſervitutes prope innumeræ.

§. 257.

Servit autem vel res rei, vel perſonæ. Et hinc aliæ ſunt ſervitutes reales, aliæ perſonales. Quæ utræque jus in re conſtituunt, ſi quidem ſaltem in libros publicos relatæ ſint atque ita rei ſervienti inhæ-

hæreant, ut contra quemvis possessorem vindicari possint.

§. 258.

Servitus realis exsistit inter duos prædiorum possessores limitrophos, quorum hic servientis, dominantis ille prædii dominus est. Prædium dominans aut habitationi aut agriculturæ destinatur; itaque servitutes reales in prædiales, urbanas et rusticas dividuntur.

§. 259.

Personalis servitus est in re, quæ servit personæ, sive ea res mobilis, sive immobilis sit, atque etiam a persona dissita.

§. 260.

Servitutes prædiorum urbanorum passim sunt:

1.) Jus ædium partem vel onus vicini ædificio imponendi.

2.) Tigni in vicini parietem immittendi.

3.) Feneſtram in pariete vicini aperiendi, luminis aut proſpectus gratia;

4.) protegendi & projiciendi, ſive ædium partem aut protectum ſupra aream alienam provehendi, ut nusquam in ea requieſcat.

5.) Fumi immitendi in vicini caminum.

6.) Stillicidii vel fluminis recipiendi, ſeu aquam pluviam in vicini fundum avertendi.

7.) Sterquilinii in area aliena habendi.

8.) Res fluidas in fundo vicini effundendi, ſive per fundum ejus canaliculis ducendi.

His & ſimilibus prædiorum urbanorum ſervitutibus jus eſt prædii domino faciendi aliquid in fundo vicini, quod pati ille debeat.

§. 261.

Aliæ ſunt prædiorum urbanorum ſervitutes, quibus fundi ſervientis poſſeſſor

tene-

tenetur non facere aliquid, quod facere alioquin liberum ipſi foret: ut puta

9.) Aedes ſuas altius non tollendi.

10.) Non deprimendi.

11.) Luminibus & äeri prædii dominantis,

12.) aut proſpectui non officiendi.

13.) Stillicidii ædium ſuarum, quod vicino ad irrigandum hortum, implendam ciſternam, aut alia ratione utile eſſe poteſt, non recipiendi.

§. 262.

Inter ſervitutes prædiorum ruſticorum præcipuæ ſunt.

1.) Jus itineris, actus, & viæ, ſive eundi, jumentum vel vehiculum in fundo alieno agendi.

2.) Aquæ in fundo alieno hauriendæ, ducendæ, pecoris ad eam adpellendi.

3.) Paſcendi pecora.

4.) Cædendi ligna, ramos aridos & ſarmenta colligendi, glandes legendi, folia corradendi.

5.) Venandi, piſcandi, aucupii.

6.) Saxa cædendi, arenæ fodiendæ, calcis coquendæ.

§. 263.

Inter ſervitutes perſonales præcipue cenſetur rei uſus neceſſitate circumſcriptus, uſusfructus, habitatio. Quin & jura per ſe realia quandoque perſonæ conferuntur, verbi gratia: jus itineris, aquæ hauſtus.

§. 264.

Qui tamen ſervitutem aliquam a communi indole recedere adſerit, id, quod adſerit, argumentis comprobato. Nec perſonali quidem ſervituti locus eſt, ſi oſtendatur, alteri quidquam, ut puta, habitationem, feneſtram, precario & nuda comitate &, quod conſequens eſt; cum repetendi facultate indultam fuiſſe.

§. 265.

§. 265.

Una est omnium servitutum indoles, ut rei servientis possessor in regula non obligetur facere aliquid, sed juris alicujus usum alteri tantum concedere, aut non facere, quod facere tanquam domino aliunde sibi liceret.

§. 266.

Servitutes modo quam maxime innocuo exercendæ sunt, casuque dubio restringendæ potius, quam ampliandæ. At sine sufficienti ratione neque indolem earum pervertere, nec finem eludere fas est.

§. 267.

Servitus nec a re serva separari, aut in aliam rem personamve transferri potest. Indivisa servitus omnis esse censetur, quatenus jus fundo insidens fundi ipsius incremento, imminutione aut divisione neque mutari, neque dividi potest.

§. 268.

Unum idemque prædium pluribus ſimul prædiis perſonisve ſervire poteſt, ſi nullius jus tertii antiquius tali ſervitute infringitur, ut puta: ſi itineris, viæ, aquæ hauriendæ uſus omnibus ſimul æquo jure pateat.

§. 269.

Fas eſt poſſeſſori dominantis prædii jure ſuo pro arbitrio uti, modo ne prædium ſerviens amplius tali uſu oneretur.

§. 270.

His principiis controverſiæ ob ſervitutes enatæ dijudicandæ ſunt. Itaque qui onus ædificii vicini ferre, tignum vicini, ut parieti ſuæ immitatur, pati, fumum vicini camino ſuo excipere tenetur, is & deſtinatum ferendo oneri murum, columnam, parietem aut caminum reficere debet. Ut prædium dominans fulciat aut caminum vicini ſarciat, cogi nullo modo poteſt.

§. 271.

§. 271.

Ubi servientis prædii possessori grave nimis & dispendiosum videatur ædes suas reparare, salva est ei libertas servum parietem derelictum dominanti ædificio cedere & servitute exire. Si nec ceditur, nec reparatur paries, jus est domino ædificii dominantis, parietem sumtu indolentis vicini reficere.

§. 272.

Jus fenestrarum non nisi luminis & äeris usum tribuit; prospectus modo peculiari conceditur. Cui prospiciendi jus non est, is cogi potest fenestras clathro includere. In summa jus omne fenestrarum obligationem inducit hiatum obstruendi. Qui fenestrarum hiatum non obstruit, damni inde enati reus est.

§. 273.

Cui jus est stillicidii, fas est ei aquam pluviam in vicini tectum vel stillatim vel canaliculis collectam cum impetu deri-

vare. Licet tectum ædium ſuarum altius tollere, non prohibito vicino, quin idem faciat. Obligatur certe, copioſam nivem, quæ forte tecto ſuo ſuperincidit, tempeſtive & diligenter amoliri atque ita infectum prædii ſervientis damnum præcavere. Canaliculos, tubulos, & labra recipiendæ aquæ unusquisque in fundo ſuo adparato.

§. 274.

At vero cui jus eſt aquam pluviam a tecto vicino in fundum ſuum deducendi, ſumtus omnes in ſtruendos canaliculos, labra, aliaque huic rei idonea neceſſarios jure præſtato.

§. 275.

Foſſas & canales ad evehendas ſordes neceſſarios dominus ædificii dominantis ſtruito, ſuperſtruito, purgato, itaque oneri prædii ſervientis, quantum poteſt, ſuccurrito.

§. 276.

§. 276.

Jus itineris complectitur & jus, quo utens ab aliis hominibus in itinere gestari, aut alios homines ad se arcessere possit. Cum jure agendi jumenti usus quoque vehiculi trusatilis, quod pabonem dicunt, uti cum jure viæ jus vehundi cum bijugo aut multijugo curru conjungitur.

§. 277.

At vero sine particulari venia jus eundi in jus equitandi aut gestationis per animalia; jus pecoris agendi in jus trahendi graviora onera; jus vehundi in jus vaga & libera armenta propellendi converti & extendi non potest.

§. 278.

Tribus his servitutibus lex spatium aliud non definit, nisi quod necessario usui, & indoli loci respondeat. Viæ & itinera si inundatione aquarum aut alio casu corrupta & impervia sint, spati-

um aliud, dum inſtaurentur, adſignandum eſt.

§. 279.

Quemadmodum perſonæ omnes & fundi poſſeſſores, qui via aliqua utuntur, pro ratione uſus ejus, neceſſarias ad conſervandam eam pecunias conferre tenentur, ita & poſſeſſor prædii ſervientis, quantum pontibus ponticulisve utitur, ad reparandos inſtaurandosve eos contribuit.

§. 280.

Jus hauriendi aquam alienam liberum ad aquam acceſſum præcipit.

§. 281.

Cui jus eſt aquæ ex fundo alieno in ſuum, aut ex ſuo in alienum ducendæ, jus & ei eſt fiſtulas, canales, tubos & cataractas aquæductui neceſſarias ſumtu ſuo adparandi & reſtituendi, quorum operum juſta copia & finis neceſſitate & uſu dominantis prædii circumſcribitur.

§. 282.

§. 282.

In adquirendo pascendi jure genus & numerus pecorum, tempus & ſpatium ſive limites paſturæ diſerte enunciati & ſtabiliti jus ipſum pascendi finiunt & firmant; deficiente una alterava hujuscemodi definitione, quieta annorum triginta poſſeſſio ſervanda eſt. Caſu dubio, leges ſequentes pro norma ſunto.

§. 283.

In omni genere jumentorum, boum, ovium jus paſturæ exerceri poteſt, exceptis ſuibus, beſtiis volatilibus & ſilveſtri in loco capris. Obſcoenum, ægrum, alienum pecus a pascuis jure arcetur.

§. 284.

Si ultimis triginta annis pascentis pecoris numerus variaverit, computata & comparata primorum trium annorum pascentis pecoris copia numerus medius & æquabilis eruendus & pro paſtu determinandus eſt; qui ſi non appareat, ſpa-

tium

tium & ambitus & qualitas paſturæ finiendi numeri ex æquo regula eſto. Neque cuiquam enascente dubio pecora plura pascere fas eſto, quam quæ pabulo in fundo ſuo nato per brumam alere queat. Pecus lactens finito numero non accenſetur.

§. 285.

Paſturæ tempus conſuetudine & uſu uniuscujusque pagi recepto & non contradicto finitur & determinatur, niſi ſi, quod fas nunquam eſt, oeconomiæ agreſti & culturæ officiat.

§. 286.

Quod ad modum & finem juris pascendi attinet, poſſeſſor ſervitutis uſu ſola neceſſitate circumſcripto contentus eſto; neque gramen metito, neque dominum fundi ſervientis a jure compascui arceto, neque enim vero ex ipſa pascui natura quidquam ſecus immutato; ſi damnum timeatur, paſtori pecus committito.

§. 287.

§. 287.

Liberum est communitati, siqua jus pascui adquisivit, hominibus suis & incolis pasturæ usum concedere. Qui in pagi finibus non incolit, ab ea arcetor.

§. 288.

Quod respectu juris pascendi hactenus edictum est, id &, servata rationum paritate, de jure occupandi feras, ligna, lapides cædendi, & reliquis servitutibus edicitur. Siquis jura hæc in condominio fundata sibi adserat, servitutes eæ non sunt, sed justi juris dominii effectus, qui contradicti & controversi ad regulas communis dominii exiguntor.

§. 289.

Jurium dominii privatorum imminutio bono publico comparata servitus est legalis, quæ passim non jure civili privato, sed lege politica nititur. Quod si facultati contrahendi subjiciatur, & pacto

jam

jam innexa ſit, ſi lis ea de res exſiſtat, litem jure perſequi fas eſto.

§. 290.

Idem jus eſto operarum manu vel jumento præſtandarum, & jurium, quæ vocant bannaria, quibus vel communitati toti vel parti communitatis interdicitur, ne res certas uſui ſuo neceſſarias in agro alieno comparent, quatenus ſervitus & jura ea vigeant.

§. 291.

Ejusmodi jura non interrupta triginta annorum poſſeſſione quidem firmantur; at ſi ratio commercii & agriculturæ commodum id ſuadeat, lege politica tolli poſſunt, compenſato nempe juſta indemnitate ſublati juris uſu.

§. 292.

Exercitium ſervitutum perſonalium, ni aliter pactum fuerit, ſequentibus regulis continetur. Omnes equidem ſervitutes, quæ in patiendo conſiſtunt, facul-

ta-

tatem re utendi aliena comprehendunt. Sed particularis servitus usus jus alteri tribuit, re mobili vel immobili aliena pro sola necessitate utendi, salva rei ipsius substantia.

§. 293.

Itaque qui usum rei mobilis vel immobilis, domus, horti, bibliothecæ, gemmarum, currus, aut rerum similium habet, is, nullo habito reliquarum fortunarum suarum respectu, utilitatem statui, conditioni, rei domesticæ suæ consentaneam e re usui suo permissa jure sibi vindicat.

§. 294.

At jure caret, rem talem alium in finem convertendi, uti piscinam in pratum, aut jus usus in alterum transferendi, nisi si nullius vel perparci fructus aliter sit. Quidquid utilitatis & commodi sine læsione & dispendio usuarii e re procedit, domino rei cedit.

§. 295.

§. 295.

Dominus rei onera omnia rei inhærentia tam ordinaria quam extraordinaria in ſe recipito; rem ſumtu ſuo reficito; ſi ſumtus reficiendæ rei pretium juris utendi exſuperent, uſuarius, quod excedit, pendito, aut a re utenda deſiſtito.

§. 296.

Uſusfructus jus eſt rebus alienis libere utendi fruendi, ſalva earum ſubſtantia.

§. 297.

In re itaque fungibili neque uſus, neque uſusfructus concipitur, at vero in rei pretio, uti & in pecunia foenori repoſita locum habet.

§. 298.

Uſufructuarius dominus rei utilis nec eſt; itaque fructus ipſos, non jus utendi fruendi alienare poteſt.

§. 299.

§. 299.

Fructui rei ordinario seu annuo nec thesaurus inventus, nec lucrum e metallis accensetur, quae domino rei cedunt, deductis commodis, quae usufructuario inde competunt.

§. 300.

Quidquid oneris & obligationis rei servienti prius jam inhaeret, usufructuario incumbit; impensas quoque, sine quibus produci fructus nequeunt, solus praestat; itaque quod superest, deducto necessario in rem sumtu, purus & liquidus rei fructuariae proventus est.

§. 301.

Atque etiam tenetur usufructuarius, rem servientem, quoad fieri potest, eo, quo acceperat, statu conservare. Itaque pro re nata sumtus reparationis, refectionis, restaurationis de suo praebeat. Pretium rei cum cura habitae legitimo usu-

fructu ſine culpa utentis fruentis imminutum fructuarius ne caveto.

§. 302.

Uſufructuarius itaque e. g. vehiculi, ovium gregis, horti, campi, ſilvæ, fructu e re proveniente equos alito; currus & inſtrumenta plauſtrorum reficito; in locum demortuarum aut deſideratarum ovium ex foetu ſubmittito; pro plantis mortuis vel abſumptis alias ex ſubcreſcentibus ſubſtituito; vias, ponticulos, ſepes reparato; ligna ad normam legum ſaltuariarum & lignationis utiliter cædito.

§. 303.

Aedium refectionem obviam neceſſariam utens fruens de ſuo procurato; ædificia & ſtructuræ, quæ reditum anni unius abſorberent, dominus perſolvito; ſummæ in ſtructuram neceſſario impenſæ foenus e proventu rei utilis repetito.

§. 304.

Ubi dominus sumtui non sufficiat aut sumtum deneget; jus esto usufructuario aedificium de suo struere, & finito usufructu, uti possessor bonae fidei, impensarum restitutionem repetere & vindicare.

§. 305.

Si & usufructuarius aedes ruinosas reficere recuset; computatum pretii aedium communis foenus ipsi persolvitor.

§. 306.

Aedificia quamvis adcrescendo reditui adcommoda, at non necessaria, damno suo strui, inhibere usufructuario licet.

§. 307.

Ut facilius probari possit, quid invicem sibi debeant, dominus & usufructuarius, legitimum inventarium rerum omnium servientium conficiunto.

§. 308.

Servitus habitationis liberæ jus tribuit ædes alienas, qua ſunt habitabiles, vel per ſemet inhabitandi, vel aliis eas aut ædium partem, ſalva earum ſubſtantia, locandi aut gratis inhabitandas concedendi.

§. 309.

Jus eſt domino de quacunque ædium ſuarum parte, quæ vel expreſſe reſervata ſibi fuit, vel habitationi proprie non inſervit, ut puta: cellis ſuperfluis, horreis, ſtabulis, & ſimilibus apothecis diſponendi; neque vero a neceſſaria inſpiciendæ domus ſuæ cura præpediendus eſt.

§. 310.

Tributa & onera alia dominus ſolvito. Refectiones ædium neceſſariæ in parte habitationi deſtinata ex præſcriptis ſuperionibus de jure uſusfructus dirigendæ ſunt.

§. 311.

Dominus rei non nisi verosimili periculo cautionem & securitatem de salva rei fructuariæ substantia ab utente, & fruente petito. Quæ si non præstetur, res ipsa domino æqua transactione relinquitor, aut pro re nata judici adservanda traditor.

§. 312.

Ratione servitutum duplex est actio, qua servitus vel ab uno vindicatur, vel ab altero contradicitur & negatur. Actione prima actor adquisitionem servitutis, quam adserit, aut saltem possessionis tanquam juris in re, secunda injuriam in re sua factam comprobato. Reum vel libertas naturalis, vel jus bonæ famæ tuetur.

§. 313.

Jus reale in re immobili ordinarie sola relatione & inscriptione in tabulis loci publicis, ubi res ea serviens exsistit; in

re mobili, quales ſunt ſupellex, veſtes, libri & ſimilia, traditione adquiritur. Pecuniarum capita juſta in tabulas judicii relatione & decreto judicis debitori inſinuato traduntur.

§. 314.

Titulus ſervitutis aut pacto, aut teſtamento, aut ſententia judicis de dividundo fundo communi lata, aut quieta triginta annorum poſſeſſione nititur. Jus inde perſonale oritur ſervitutis in libros publicos referendæ, vel pro re nata traditionem rei petendi, neque in alterum neminem niſi in conſentientes validum & efficax eſt.

§. 315.

Servitutes perſonales morte perſonæ intereunt, ſive ea ſit perſona moralis, familia, univerſitas, quæ mori cenſetur, quum omnes ejus participes & conſortes, qui tempore adquiſitæ ſervitutis vivebant, deceſſere. Cenſus & reditus an-

nui

nui perpetui personalis servitus non sunt, & pro natura sua in successores abeunt.

§. 316.

Siquis servitutem hujusmodi tanquam censum vitalitium sibi & posteris suis generaliter & absque conditione alia definita adquisiverit, jus id in omnes stirpis suæ successores, in extraneum neminem transit.

§. 317.

Interitu servientis vel dominantis prædii servitus enimvero tollitur; restituto in pristinum statum prædio ædificiove eadem renascitur.

§. 318.

Si jus temporarium ejus, qui servitutem constituit, aut dies, in quam constituta fuit, servitutis possessori e libris publicis, aut alia ratione innotescere potuit; finito hoc tempore & die servitus cessat.

§. 319.

Solo quidem non usu servitus solvi non praesumitur; at si serviens servitutis exercitio resistat, nec dominans per tres continuos annos jus suum usurpet & vindicet; servienti jus esto personale servitutis e libris publicis expunctionem petere; integro scilicet & illaeso novi possessoris jure, qui interea possessionem dominantis praedii adquisiverit.

§. 320.

Praedio utroque & serviente & dominante in unius dominium redacto & confuso, servitus exstinguitur. Quodsi pars iterum dominii ita confusi postea alienetur, nec servitutis nota interea in libris publicis expuncta fuerit; jus esto novo dominantis praedii possessori usum servitutis ejus repetere & vindicare.

CAPUT X.

De jure hæreditario.

§. 321.

Res omnes, jura omnia, quæ quis ante mortem poſſederit, morte dereliquerit, bona defuncti derelicta, reſpectu hæredis hæreditas vocantur. Res aliena, & quidquid teſtator jure legare non poterat, huc non pertinet.

§. 322.

Præcipuum & particulare jus hæreditatem adquirendi jus adpellatur hæreditarium. Jus eſt in re, quod in unumquemque, qui hæreditatem ſibi arrogat, valide exerceri poteſt.

§. 323.

Senſu pleniori is hæres vocatur, cui jus eſt hæredandi. Proprio ſenſu hæres eſt, qui hæreditatem jam adivit.

§. 324.

Plures perſonæ, quibus idem & commune hæreditatis jus eſt, una eademque eſſe perſona finguntur, & reſpectu eo ante hæreditatis diviſionem in ſolidum invicem obligantur.

§. 325.

Commoda tantum & onera, quæ derelictæ defuncti rei inſunt, hæreditatem conſtituunt. Neque enim perſonales teſtantis obligationes, jura ejus perſonalia & prærogativæ perſonæ in hæredem tranſeunt.

§. 326.

Hæres reſpectu rei a defuncto derelictæ & ſibi legatæ pro teſtatore eſt; reſpectu aliarum perſonarum hæres & teſtator una eſſe eademque perſona præ-

ſum

ſumuntur. Hæres itaque jus ſuum ſingulare, in eum, cui teſtatoris nomine ad præſtandam evictionem tenetur, perſequi nec poterit.

§. 327.

Obligationes, quas teſtator e re ſua præſtare debuiſſet, ceu æris alieni, damni reſtituendi, mulctæ pecuniariæ irrogatæ, necdum perſolutæ, pacti, in hæredem tranſeunt. Mulcta defuncto nondum irrogata aut poena quævis in illum lata hæredi non incumbit.

§. 328.

Hæreditas viventis contradictoria & nulla eſt. Speratur, promeretur hæreditas, ſed non niſi a morte teſtatoris jus hæredandi exſiſtit.

§. 329.

Qui hæres eſſe præſumitur, ſi ante teſtatorem deceſſerit, jus hæreditatis nondum quæſitum in ſuos hæredes transferre non potuit.

§. 330.

Teſtatori ſuperſtes, jus hæreditarium ipſa re adquirit, & uti alia jura hæreditaria, quamvis hæreditate nondum adita, hæredi ſuo transmittit, niſi remiſſione aut alio quovis modo jus ſibi hoc perierit.

§. 331.

Jus hæreditarium aut voluntate teſtatoris rite declarata, aut pacto, aut lege nititur.

§. 332.

Tria igitur hæredum genera ſunt, quæ etiam uno eodemque tempore invicem & ſimul eſſe poſſunt: fieri enim poteſt, ut, hæreditate in tres portiones inter hæredes hos diverſos diviſa, uni triens ex teſtamento, alteri ſextans ex pacto, tertio ſemis aſſis hæreditarii lege detur.

§. 333.

§. 333.

Portio aliqua, quæ quota hæreditatis non eſt, jus, pecuniæ ſumma a teſtatore alicui collata legatum vocitatur; cui collata eſt, non hæres, ſed legatarius adpellatur.

§. 334.

Qui adquirendæ rei alicujus idoneus eſt, adquirere hæreditatem etiam poteſt. Quod ſi quis de jure adquirendi ſuo ipſo facto, ceu votis ſolemnibus deceſſerit, aut deſtinatæ hæreditati renunciaverit; jure hæreditario univerſo aut pro parte privatur.

§. 335.

An, & quatenus vel corpori morali, vel civi ingenuo, qui patriam vel militiam absque venia legitima dereliquerit & aliena in provincia ſedem fixerit, jus hæreditarium competat? leges politicæ definiunt.

§. 336.

Personæ de adulterio coram judice convictæ jure hæreditatis ex testamento vel pacto viceversa excluduntur.

§. 337.

Corpora & coetus inliciti juris hæreditarii inhabiles sunt. Coetus omnis, quem publica, seu universalis seu pecu-liaris potestatis politicæ adprobatio non tuetur, inlicitus est.

§. 338.

Qui famam, salutem, fortunas testatoris aut liberorum & parentum aut conjugis ejus nefarie & graviter læserit, is hæreditatis jure indignus est, dum non probetur testatorem sibi ignovisse.

§. 339.

Qui vi vel dolo testatorem ad declarandam vel non declarandam ultimam voluntatem suam induxerit, aut jam conditam interverterit, is jure hæreditario exui-

exuitor, & damnum culpa ſua alteri datum omne rependito.

§. 340.

Siquis alieni teſtamenti conditor & ſcriptor vel ſibi vel liberis ſuis, parentibus, fratri ſororive, aut conjugi, conferente quamvis teſtatore, portionem hæreditatis aut legatum adſcripſerit; ſi facta a teſtatore collatio alia ratione non comprobetur, nihil agit, neque jus inde vel ſibi vel ſuis aliquod quærit.

§. 341.

Alienigenæ, quorum in patria cives auſtriaci ab hæreditatibus arcentur, neque in provinciis auſtriacis juris hæreditarii habiles ſunto.

§. 342.

Capacitas ſuccedendi nonniſi tempore vacuæ & caducæ hæreditatis definitur, id eſt, morte teſtatoris.

§. 343.

Capacitas ſuccedendi poſterius quæſita jus nullum conſtituit ab altero repetendi id, quod priori ſucceſſionis jure jam adquiſiverit.

CAPUT XI.

De Testamentis.

§. 344.

Qui rem suam alteri cedere, in alterum transferre jure potest, tempus & modum transferendæ rei ponere jus ipsi est, atqui etiam conditiones, quibus facta rei cessio & collatio justum effectum sortiatur.

§. 345.

Dispositio de re, qua dominus rem suam aut partem rei uni aut pluribus personis confert, ea mente, ut superstites sibi sint, & ne declaratam ita animi sui

ſententiam revocet, ultima voluntas adpellatur.

§. 346.

Si hæres ultima voluntate inſtituitur, teſtamentum vocatur: ubi voluntate ea legata ſingula adſignantur, aut juſſa alia exprimuntur, codicillus vocatur, nullo diſcrimine quamvis tenuium hereditatis aut pinguium portionum legatarum.

§. 347.

Verum itaque diſcrimen inter teſtamentum & codicillum neque in nomine hæredis aut legatarii, neque in pretio rei legatæ, ſed in eo vertitur, an ſaltem pars univerſæ derelictæ rei, an tantum certa res hæreditaria vel certa pecuniæ ſumma, certum jus, nullo reſpectu univerſi aſſis hæreditarii, a teſtatore alicui conferatur.

§. 348.

Codicillus, codicillive cum teſtamento & ſine teſtamento valere poſſunt. At

At plura ſimul teſtamenta conjungi ordinarie nequeunt, quod teſtator plura quidem legata, ſed unum tantum aſſem hæreditarium derelinquere poteſt.

§. 349.

Univerſa hæreditas, ſi unicum teſtator hæredem abſolute inſtituerit, hæredi inſtituto adquiritur. Quodſi hæredi unico certa hæreditatis portio, ceu triens aut quadrans collata ſit; partes reliquæ cum onere pro rata, legitimis hæredibus adquiruntur.

§. 350.

Ubi portione deſtinata nulla in rem indiviſam plures ſcripti ſint hæredes; as omnis hæreditarius in capita abit. Corpus, univerſitas, coetus, v. g. pauperes, una eſſe perſona cenſentur.

§. 351.

Siquis hæredum aut non velit, aut non poſſit jure uti hæreditario ſuo; pars

ei hæreditatis destinata ceteris hæredibus institutis cedito.

§. 352.

Ubi vero inter plures hæredes singuli in certas partes, aut ubi non tacite, sed disertis verbis in partes æquales scripti sunt, pars ea, quæ uni illorum obvenire nequit, hæredibus legitimis adcrescit.

§. 353.

Idem jus esto, si partes singulis hæredibus destinatæ assem totum hæreditarium non exhauriant. In res postea repertas & capita pecuniæ testamento prætermissa hæredi legitimo jus non esto.

§. 354.

Si inter institutos hæredes personæ scriptæ sint, quæ in successione legitima respectu reliquorum non nisi una esse persona jure præsumuntur, ceu patrueles cum fratre testatoris seu patruo hærede comparati; partes, ni testamento aliter jubeatur, in stirpes dividuntor. Quoad

stirps

ſtirps ſupereſt, ſucceſſioni legitimæ locus non eſto.

§. 355.

Si hæredi uni alterive certa & finita hæreditatis pars, triens, quadrans, reliquis nec certa nec finita portio collata ſit; qui incerta ex parte ſcripti ſunt, reſiduo ex aſſe hæreditario contenti ſunto.

§. 356.

Si reſiduum ſit nullum; hæredi indeterminata ex parte ſcripto tantundem duitor, quantum, cui minima finitarum partium ſcripta eſt, debetur, atque ea pars e finitis reliquis partibus pro rata carpitor. Ubi alias errore calculi teſtator lapſus eſt; ea eſt inſtituenda diviſio, qua voluntas ejus, collatis & expenſis univerſi aſſis rationibus, quantum fieri poteſt, impleatur.

§. 357.

Fas non eſto teſtatori hæredis ſui nuncupationem ſententiæ & arbitrio al-

terius relinquere. Teſtator hæredem certum ipſe nominato. At conditiones alterius arbitrio implendas hæredi ſuo dicere ſibi liceto.

§. 358.

Vel hæredis, vel alterius viri boni arbitrio relinqui poſſunt certa & definita legata inter cognatos, domeſticos, pauperes, ſervata rerum & perſonarum ratione, dividenda.

§. 359.

Interrogatus: an hanc vel illam perſonam hæredem ſuum inſtituere velit? ſi reſpondeat, ſe vero velle; teſtator verus ideo eſſe non cenſetur. Neque vero is eſt teſtator, qui per jocum inter fabulandum temere alicui dixerit, hæredem eum ſibi futurum; & ſimilia.

§. 360.

Quin & ſufficiens alioquin teſtatoris demonſtratio nulla eſt, ſi oſtendatur, furore, amentia, hebetudine animi, ebrieta-

tate, aut vi, dolo, errore ſubſtantiali in perſona hæredis aut re legata vitiatam fuiſſe.

§. 361.

Error ſubſtantialis quoque habetur, ſi poſteros ſuos omnes teſtator præterierit, neque quidquam cuiquam illorum ex hæreditate legaverit. Ubi illorum uni partem hæreditatis legaverit; juſtum & validum eſto teſtamentum, data præteritis parte legitima.

§. 362.

Falſa rei aut perſonæ denominatio vel deſcriptio voluntatem teſtantis non infirmat, niſi ſi verus in perſona error aut rei interitus & abſentia comprobetur.

§. 363.

Cauſſa conferendi legati a teſtatore enunciata, ſi falſa eſſe vel fuiſſe reperiatur, legatum ipſum non vitiat; niſi oſtendatur, teſtatorem in errorem inductum

fuiſſe, & voluntatem ejus ſolo hoc errore ſtetiſſe.

§. 364.

Si mente captus uſum rationis recuperarit, aut lucida ſint dementiæ intervalla; voluntatem ultimam teſtamento declarare ipſi jus eſto: ſed comprobandum tamen eſt teſtimoniis peritorum, intervallum lucidum ſaltem per viginti quatuor horas ante & poſt teſtamenti factionem non interruptum duraviſſe.

§. 365.

Impuberes teſtamento faciundo inhabiles ſunto; neque enim venia, quam dicunt, ætatis uſum rationis adultæ ſufficit. Minores a decimo quarto ad duodeviceſimum annum cum judicii tutorii aut parentum conſenſu, ubi vero annum decimum octavum exceſſerunt, per ſe teſtamenti factionem habent.

§. 366.

Vitia alia & defectiones neminem a faciendo teſtamento impediunt; dummodo teſtator voluntam ſuam diſerte & clare declarare valeat.

§. 367.

Religioſorum ordinum homines neque teſtari, nec ſuccedere poſſunt. Qui ſoluti votis ſuis, aut ex ordine ſpeciali privilegio muniti ſunt, aut modo legitimo plenum rei alicujus dominium adquiſiverunt, poteſtatem habento per teſtamentum aut codicillum de re ea diſponendi.

§. 368.

Delinquentes ad ſeveriſſimam, duramve carceris poenam damnati, a die publicatæ ſententiæ, toto poenæ tempore teſtamenti factione privantur. Teſtamenta eorum, qui ſibi manus ipſi inferunt, irrita ſunto.

§. 369.

Prodigo publice declarato, ut valide teſtetur, non niſi a judice ſuo inferiore vel ſuperiore poteſtas fieri poteſt.

§. 370.

Teſtamentum per ſe validum impedimentis poſtea enatis irritum non fit.

§. 371.

Teſtamentum per ſe nullum vitiis poſtea ſublatis non evaleſcit, & ni alia ultimæ voluntatis declaratio ab teſtatore facta fuerit, locum juri legitimo & ab inteſtato ſuccedendi relinquit.

§. 372.

Teſtamentum vel ſcribi, vel nuncupari, ſcribi vero cum vel ſine teſtibus poteſt.

§. 373.

Scripto ſed ſine teſtibus teſtaturus teſtamentum ſeu codicillum propria manu exarato, diem, annum, locum domicilii, ubi teſtamentum condidit, ſubnotato, nomen

men & cognomen ſubſcribito, ſigillum vel aliud ſignum imprimito.

§. 374.

Inſtitutio hæredis per relationem ad ſchedam, epiſtolam aut ſcriptum aliud tum demum legitima & valida eſt, ubi ſcriptum id rebus ad juſtum teſtamentum neceſſariis inſtructum eſt. Ceterum ſcriptæ ejusmodi annotationes a teſtatore indicatæ, dilucidandæ & interpretandæ ejus voluntati non inepte inſerviunt.

§. 375.

Ubi teſtamentum non a teſtatore, ſed aliena manu conſcribitur; teſtator ſubſcripto, uti in teſtamentis autographis, & ſignato teſtamento manu ſua propria ſubjicito: hanc eſſe ultimam voluntatem ſuam; ſimul teſtes tres idoneos, quibus ipſe cognitus eſt, adhibeto. Fas eſto quoque ſcribenti teſtamentum vice teſtis fungi.

§. 376.

§. 376.

Teſtibus his præſentibus ſcriptum teſtator diligenter relegito & verbis conceptis declarato: genuinum id eſſe inſtrumentum, & voluntatem ſuam continere. Qua ſola ratione ſuſpicio ſuppoſiti aut falſi & corrupti teſtamenti antevertitur.

§. 377.

Teſtes eadem ratione, qua teſtator, actum manu propria & ſignis impreſſis confirmanto & vel intus vel in extima teſtamenti facie ipſis tabulis (nec fas earum involucro) tanquam ultimæ voluntatis teſtes ſubſcribunto. Teſtamenti argumentum ignorare teſti licet.

§. 378.

Unum idemque teſtamentum plurium eſſe teſtatorum nequit. At conjugibus licitum eſt uno teſtamento aut ſeſe invicem, aut perſonas alias & diverſas hæredes inſtituere; quod teſtamentum retractari & rumpi ſemper poteſt, quamvis

re-

retractatio unius teſtantis retractationem alterius per ſe non inducat.

§. 379.

Qui ſcripto teſtari aut non vult, aut non poteſt; is teſtibus ſimul præſentibus tribus, quibus ipſe cognitus eſt, voluntatem ſuam pronunciato.

§. 380.

Curent teſtes, ut aut conjunctim, aut ſeorſum unusquisque declaratam ſibi teſtatoris voluntatem ſcripto notent, notatamque poſt mortem ejus judici competenti commonſtrent.

§. 381.

Si fictum ſimulata teſtatoris manu teſtamentum eſſe impugnetur; inprimis tabulæ ipſæ cum notoriis aliis teſtatoris ſcripturis ſedulo conferendæ & comparandæ ſunt, atque omnis alia ratio eruendæ veritati idonea ineunda.

§. 382.

Teſtamentum nuncupativum ſeu ore prolatum, petente eo, cujus intereſt, a duobus ſaltem teſtibus, qui nuncupationi interfuere, jurejurando confirmator. Neque jusjurandum unius probationem ullam efficit, aut ſuppletorio ea in re locus aliquis eſt.

§. 383.

Liberum eſto unicuique ſcriptum teſtamentum ſuum codicillumve judici per ſemet ipſum offerre, cuſtodiendum tradere, atque actum hunc judicialem in adverſaria publica, ſeu protocollum referre; aut vero voluntatem ſuam judici ore declarare, ad protocollum exhibere, ejusque nuncupationis exemplar ſibi repetere.

§. 384.

Judicium, cui voluntas ejusmodi ultima ſeu ſcripta, ſeu nuncupata offertur, duobus ſaltem viris ſacramento obligatis

&

& nulli studio obnoxiis necessario compositum esto. Ceterum testes duo actui sufficiunt. Neque hi nisi cognita caussa & ex sententia judicis, uti testes testamenti scripti, ad confirmanda jurejurando testimonia sua adiguntor.

§. 385.

Si necessitas id postulet, viri duo supra demonstrati domum se testatoris conferunto, voluntatem ejus ultimam scripto aut ore prolatam excipiunto, actum notato die, anno, loco in protocollum inserunto. Judex extraneus testamentum defuncti testatoris una cum protocollo ejus testamenti caussa comparato judici ejus competenti tradito.

§. 386.

Coeci, surdi, muti testari possunt; testamenti alieni, uti mente capti & impuberes, testes esse non possunt. Qui linguam testatoris non callet, testamenti

nuncupatiui: qui litteras nescit, scripti testis non esto.

§. 387.

Alienus a religione christiana testamenti ab homine christiano conditi testis nec esto.

§. 388.

Damnatus a judice criminali falsi aut turpis quaestus testis esse testamenti jure nequit.

§. 389.

Haeres, haeredis conjux, parentes, liberi, affines sororii, domestici stipendiarii dicendo ultimae voluntatis testimonio inhabiles jure sunto.

§. 390.

Legatarius in propria caussa testis non esto. Testator testi suo quidquam legaturus legatum aut propria manu scribito, aut aliis duobus adhibitis testibus confirmato.

§. 391.

Religioſorum ordinum homines, feminæ, adoleſcentes nondum duodevicennes in teſtamento codicillove conficiendo teſtes adhiberi in ordine non poſſunt.

§. 392.

Caſu, quem lex excipit, uti in bello, navigatione, & locis peſte & contagio infectis ordinum religioſorum ſodales, feminæ, adoleſcentes, qui decimum quartum ætatis annum exceſſere, teſtes teſtamenti licito ſunto.

§. 393.

In teſtamento ejusmodi privilegiato teſtes ſufficiunt duo, licet alteruter teſtium ſcriptor teſtamenti ſit. Neque neceſſe eſt, ut conjuncti ſimul & ambo præſentes ſint, ſi grave ſit contagionis periculum.

§. 394.

Privilegio teſtamenti militaris & codicillorum gaudent omnes, qui ex æra-

rio bellico aluntur, & in bello verſantur. Aque hoc privilegium a prima ad bellum profectione inceptum cum pace publica facta exſpirat.

§. 395.

Sex menſes a pace evulgata, navigatione finita, contagione exſtincta teſtamenta privilegiata condita effectu civili carent.

§. 396.

Teſtamenta eatenus rata & valida ſunto, quatenus forma & qualitas teſtamenti neceſſaria, ſuperius demonſtrata non negligitur.

CAPUT XII.

De
substitutione & fideicommissis.

§. 397.

Instituto a testatore hærede primo, possunt & alii hæredes adjungi, qui certo casu in locum deficientis primi succedant. Ea vocatur substitutio.

§. 398.

Fieri namque potest, ut hæres institutus ante testatorem decedat, aut alia ex caussa hæreditatem sibi destinatam non consequatur. Quem ob finem testator hæredes alios nominat, ita ut deficiente

primo hærede ſecundum, deficiente ſecundo tertium & ſic porro, ſervato ſuccedendi ordine, hæredem ſuum inſtituat.

§. 399.

Parentibus jus quoque eſto, liberis ſuis impuberibus, mente captis, ingenio hebetibus, niſi ſi forte liberorum ſoboles exſiſtat, ſi impuberes, amentes, hebetes moriantur atque teſtandi incapaces fuerint, hæredes alios ſubſtituere.

§. 400.

Teſtator poſtremo hæredem ſuum obligare poteſt, ut acceptam hæreditatem neque alienet, neque teſtamento de ea diſponat; ut hæreditatem poſt ſuam ipſius hæredis mortem hæredi ſecundo nominato relinquat, hæredemque ſecundum eodem vinculo reſpectu tertii alicujus hæredis obſtringat.

§. 401.

Tribus his modis inſtitutio fit hæredis ſubſtituti. Prima vulgaris, ſecunda pupil-

pillaris, tertia fideicommissaria est substitutio.

§. 402.

Substitutioni vulgari in quovis testatore, in quovis hærede, immo & cohæredibus inter se locus est: quin tamen alios substituendi modos tacite contineat. Expresso a testatore casu uno: si hæres esse non possit, casus alter: si hæres esse nolit, non intelligitur, & vice versa.

§. 403.

Quum substitutus primi substituti instituto succenturiatus, sive in vicem instituti hæredis vocatus sit, mortuis nempe aut deficientibus ambobus; onera instituto hæredi imposita in substitutum quoque transferuntur, nisi ita sint comparata, ut diserta testantis voluntate personæ instituti incumbant.

§. 404.

Si soli cohæredes mutua substitutione sibi invicem suffecti sint, testator partium

inſtitutarum menſuram ſubſtituendo repetere voluiſſe cenſetur. Si vero in ſubſtitutione præter cohæredes ſubſtitutus alius vocatus ſit; partes æqua lance inter omnes dividantur.

§. 405.

Subſtitutio pupillaris a parentibus utriusque ſexus recte fit, ſi bona liberis a paternis aut maternis conſanguineis quoque obvenerint. Si bona ſint adventitia, ab extraneis aut aliunde quæſita; ſubſtitutio hæredis nonniſi patri permiſſa eſt.

§. 406.

Hæredes liberorum legitimos omnes præterire tali ſubſtitutione ne fas eſto. Si fratres & ſorores patrueles, aut eodem vel proximiori cum iis gradu conjuncti ſuperſint; uni ſaltem illorum propria & libera hæredis inteſtabilis bona transmittuntor.

§. 407.

§. 407.

Si testator hæredi aut legatario facultatem testandi de accepta hæreditate interdixerit; hæres aut legatarius nihil inde alienato, sed integrum suo ipsius hæredi legitimo servato. Interdictum de non alienando jus testandi non imminuit.

§. 408.

Si hæres modo indefinito jubetur, quod ex accepta hæreditate post mortem ejus supererit, id substituto alicui transmittere; quartam saltem partem substituto adservato, &, si opus sit, satisdato.

§. 409.

Ordo successionis fideicommissariæ, si vocati coævi sint testatoris, finitus non est, & in tertium, quartum, & ultra excurrit.

§. 410.

Si coævi non sint, sed tempore conditi testamenti nondum nati; substitutio fideicommissaria in pecunias, capita posi-

ta, & res alias mobiles usque ad gradum ſecundum extendi poteſt: ſi prædia & fundos concernit, in gradu nonniſi primo valida eſt.

§. 411.

Subſtitutio vulgaris adita hæreditate; pupillaris impleta pubertate hæredis impuberis, aut dementis recuperata ratione; fideicommiſſaria deficientibus legitimis vocatis exſpirat. Subſtitutio vulgaris pupillari & fideicommiſſaria continetur.

§. 412.

Pecuniarum capita, prædia & fundi, aut jura a teſtante vel pacto vel ultima voluntate adſignata, quorum reditus commodis publicis, uti beneficiis eccleſiaſticis, ſcholis, ægris & infirmis, ptochotrophiis, aut ad alendas certas perſonas in poſterum deſtinantur, fundationes adpellantur. Fundationes cum ſubſtitutionibus non ſunt permutandæ.

§. 413.

Fideicommiſſum diſpoſitio eſt, qua certa & determinata res in omnem gentis alicujus poſteritatem vel plures ejus generationes propagata bonum familiæ inalienabile declaratur. Fideicommiſſum absque peculiari legislatoris privilegio non poteſt inſtitui.

§. 414.

Fideicommiſſum aut eſt primogenitura, aut majoratus, aut ſenioratus, prout inſtituens aut primogenito e linea majori, aut nullo habito primogenituræ reſpectu majori ætate propinquioris lineæ, aut nullo lineæ reſpectu familiæ ſeniori ſucceſſionem contulit.

§. 415.

In primogenitura lineæ exſtinctæ majori minor ſuccedit, ita ut frater ultimi poſſeſſoris filio hujus, nepoti & pronepoti poſthabeatur. Caſu dubio primoge-

nitura præ majoratu aut ſenioratu, majoratus præ ſenioratu eſſe præſumitur.

§. 416.

Poteſt & inſtituens invertere ſucceſſionis ordinem vocando vel poſtremo genitum e linea majori vel natu minimum ex omni ſtirpe, vel eum denique, qui primum adquirentem vel poſtremum poſſeſſorem gradu propinquiori contingit.

§. 417.

Si teſtator inſtituens voluntatem ſuam clare ſatis non definiverit; potior eſto ratio poſſidentis ultimi, quam primi adquirentis. Inter plures perſonas ejusdem gradus ætas prævalet. Tandem ordo ſucceſſionis legitimæ pro norma eſto.

§. 418.

Poſteritas muliebris omnis fideicommiſſis in regula excluditur. Quod ſi teſtator expreſſis verbis declaraverit, ut fideicommiſſum exſtincta ſtirpe omni virili in lineas muliebres tranſeat; devolvitur id

in-

inprimis ad majorem natu possidentis ultimi filiam. Qua mortua in hæredes ejus mares, & deficientibus his in feminas transit, eo ordine, qui in successione sexus virilis præscriptus est.

§. 419.

Si fideicommissum in certa pecuniæ summa institutum sit; institutio ea in obligatione, quam vocant, seu syngrapha fiduciaria exprimenda est: si in prædio sit vel fundo; in publicos libros est referenda, ne vel caput fideicommissarium neglecta legis cautione exsolvi aut prædium & fundus alienari possit.

§. 420.

Porro justum & legitimum inventarium rerum omnium fideicommisso pertinentium vel in principio, vel non multo post conficiendum est, & custodiæ judicis seponendum, quod in successione quavis seu possessionis mutatione, in separatione assis fideicommissarii a bonis liberis

sive

ſive allodiis pro norma eſto. Succeſſor quisque res inventario deſcriptas fide ſua caveto.

§. 421.

Inſtitutione fideicommiſſi nec jus creditoris cautione priori in re fideicommiſſa ſancitum, ſeu, ut vocant, prænotatum perimitur, nec inſtituentis libertas tollitur, niſi ſi alteri jus hactenus aliquod quæſitum ſit, voluntatis retractandæ ſuæ. Quæ enimvero, nato ſibi filio legitimo hærede, retractata & ſublata eſſe cenſetur.

§. 422.

Dominium aſſis fideicommiſſarii diviſum eſt inter vocatos univerſos & præſentem fideicommiſſi poſſeſſorem. Illis directum, huic etiam utile in re eſt dominium.

§. 423.

Jure dominii in re fideicommiſſa directi fas & poteſtas eſto vocatis exigere,

ut

ut obligationes, seu syngraphae fideicommissariae custodiae judicis amandentur; ut malam bonorum fideicommissorum gestionem judici denuncient; pro tutore aut curatore vocati minoris aut posteritatis communem curatorem fideicommissarium instituant; quidquid securitati & saluti substantiae proficit, provideant.

§. 424.

Possessor fideicommissarius jura omnia habet & obligationes domini utilis: fructus percipit omnes, onera fert omnia: neque imminutam absque culpa sua rei substantiam salvam praestat, neque ex incremento, siquod accessit, praeter fructus quidquam capit.

§. 425.

Fideicommissarius juri suo pro se & posteritate sua nondum exsistente renunciare rite potest, salvo jure foetus, qui jam in utero matris est. Si fructus fideicommissi oppignoraverit; jus pignoris

eam tantum partem fructuum attingit, quos cogere jure poteſt, ſalva & intacta parte, quæ ſucceſſori debetur.

§. 426.

Fideicommiſſum non niſi unanimi conſenſu domini utentis, & vocatorum omnium alienari poteſt. Vocati itaque edicto admonendi. Superſtite vocato nullo, dominium utile & directum confunditur, atque ita poteſtas fit utenti domino alienandi pro arbitrio aſſis fideicommiſſarii.

§. 427.

Bona fundationi alicui deſtinata, ſive ſint pecuniæ capita, ſeu prædia & fundi, carpi & imminui ne fas eſto, quamvis conſentientibus poſſeſſore & fruentibus. Subſtantiam enim rei hujus ſalvam præſtari civitatis intereſt.

§. 428.

Licet fideicommiſſario fundos fundis commutare, pro congrua mercede, immo & cum jure hæreditario perpetuo locare.

care. Arrha ob contractum persoluta assi fideicommissario adcrescit, foenori ponenda.

§. 429.

Licet ipsi rem fideicommissam immobilem pecunia permutare, & gravi de caussa pro tertia parte æri alieno obnoxiam reddere.

§. 430.

Pretium fundi fideicommissi, si fundus permutetur, in caput pecuniæ convertatur, aut æri alieno obstringatur, vel experimento hastæ publicæ, vel puro & liquido sex annorum proventu determinandum & pro vicesima computandum est.

§. 431.

Sustentatio posthumorum, cautio vidualitii uxori possessoris fideicommissarii aut proximi ejus successoris præstanda, refectio ædificiorum tempore vel casu adflictorum, necessaria alia in calamitate vel muneris publici gestione subsidia coge-

gere fideicommiſſarium juſte poſſunt ad tertiam fideicommiſſi partem æri alieno ſubjiciendam.

§. 432.

Ut ne rei fideicommiſſæ permutationibus §§. 428. & ſqq. recenſitis jus alterius infringatur, requiritur in quavis tali permutatione, prævia duorum aut trium propinquiorum & ſeniorum hæredum vocatorum diverſæ præcipue lineæ interrogatione, judicis competentis adprobatio. Aes alienum tertiam partem ſuperans non niſi cum adſenſu vocatorum omnium aut curatorum illorum adfligi fideicommiſſo poteſt.

§. 433.

Quo in caſu liberorum fideicommiſſarii non ſecus ac vocatorum abſentium, ſeu fideicommiſſi in genere patrocinium curator ſuſcipit. Pars, quæ ſententia primi judicii læſam ſe reputet, judicem ſuperiorem adito.

§. 434.

§. 434.

Ubi consensus & adprobatio onerandi fideicommissum ære alieno impetrata est; dies solutionis seu liberandi debiti statuendi, atque ita sunt præfiniendi, ut anno quolibet quinta & vicesima vel ipsa vicesima ex aere eo alieno persolvatur.

§. 435.

Aes alienum a fideicommissario citra judicis adprobationem contractum successorem non adficit. Ast successor debitam unicuique bonæ fidei possessori factarum omnium in fideicommisso impensarum restitutionem præstare, & partem frugum anno ultimo caducarum hæredi antecessoris rependere tenetur ea lege, qua cujusvis usufructuarii hæredibus rependendæ sunt. Pensiones usurarum prius exsolutæ aliæque impensæ successori non imputantor.

§. 436.

Vel interitu vel alienatione neceſſaria totius rei fideicommiſſæ, aut ſi mutato domino utili nec ſuccedens fideicommiſſarius, nec vocati per triennium confirmationem impetrent; vel exſtincta omni ſtirpe inſtrumento inſtitutionis vocata exſtinguitur fideicommiſſum.

CAPUT XIII.

De legatis.

§. 437.

Quod de ultimis voluntatibus in genere edictum, id & in ſpecie de legatis edicitur. Nam pari ratione in facultate teſtandi & jure hæreditario continentur & tam in teſtamentis quam codicillis, ipſis etiam cohæredibus tanquam prælegata relinqui poſſunt.

§. 438.

Quidquid eſt in commercio, res, jura, operæ, actus alii, qui pretio æſti-

mari possunt, legari possunt, seu sint testatoris, seu hæredis, sive alterius, sive etiam quodammodo legatarii propria.

§. 439.

Si res legetur, quæ quidem in commercio sit, quæ vero a testatore, hærede aut legatario possideri non possit; pretium rei commune, ni rem ipsam consequatur, legatario rependitor.

§. 440.

Legata assem hæreditarium imminuunt, & in regula hæredum omnium portiones pro rata carpunt. Ab testatoris arbitrio pendet vel cohæredum alicui, vel legatario persolutionem legati peculiariter injungere.

§. 441.

Hæres amplius præstare reipsa non tenetur, quam quantum ex hæreditate percipit. Qui hæreditatem indeliberate & non reservato adit, is obligationem sibi

con-

contrahit voluntatem omnem teſtatoris ſine exceptione exſequendi.

§. 442.

Quemadmodum hæredi ſtatim a morte teſtatoris jus in libera defuncti bona adquiritur, ita & legatarius ſibi & hæredi ſuo jus hæreditarium in rem ſibi legatam adquirit.

§. 443.

Si rem legatam, individuam, plane determinatam, propriam teſtatoris, ut puta veſtem nuptialem, domum certo numero diſtinctam legatarius acceperit; ſi fundo ſibi legato jus ſuum in libros publicos retulerit: jus ſibi dominii ejus rei continuo adquirit.

§. 444.

Eodem modo legatarius ſervitutes ſimpliciter diſtinctas aliaque jura adquirit, ut puta, uſum equi, uſumfructum certi & definiti agri, habitationem domus alicujus, & cet.

§. 445.

Si teſtator rem quidem propriam ſuam v. g. veſtem, domum legaverit, nulla particulari nota aut ſigno diſtinctam, ſi plures ejusmodi res in hæreditate exſiſtant; legatarius legatum uti rem propriam ab alio poſſeſſore ne vindicato, jure hæreditario ſuo in univerſum aſſem hæreditarium agito.

§. 446.

Si rei legatæ non definitæ optio arbitrio legatarii eſt relicta, veſtis, domus & ſimilium; fas eſto ei rem inter plures optimam ſeligere: caſu contrario optio eſt hæredis. Si ſit hæredis; rem legatario uſui futuram ſeligito.

§. 447.

Lex eadem eſto de optione legatorum, quæ teſtator alteri e re ſua propria pro numero, menſura, aut pondere contulit, v. g. centum ovium, centum amphorarum vini, centum librarum ſerici.

§. 448.

Si res ejusmodi legatæ in re derelicta & hæreditaria omnino non exſtent; legatum perimitur. Si numero præſcripto & quantitate deficiant; eo, qui ſupereſt, legatarius contentus eſto.

§. 449.

Si teſtator alicui res certi cujusdam generis, numero, menſura, pondere definitas, generaliter & nullo habito reſpectu, ſintne in penu ſua, nec ne? legaſſit; hæres res tales medii pretii legatario repræſentato, ſublata exceptione rei non ſuperſtitis aut interitæ.

§. 450.

Fas eſt teſtatori legatæ rei optionem tertio alicui injungere. Qui ſi optionem ſuſcipit; pro arbitrio ſuo rem optimam aut viliſſimam ſeligito: ſi non ſuſcipit; judex optione ſeligito.

§. 451.

Legatum neque ſua natura, neque teſtatoris voluntate ſatis diſtinctum, v. g. horologii, libri, vineæ, ſi res ejusmodi in hæreditate non ſit, nullum eſt.

§. 452.

Si res legata tempore legationis in legatarii dominio jam fuit; legatum nullum eſto. Rei legatæ poſtea adquiſitæ pretium legatario redditor.

§. 453.

Legatum e re aliena, ſi notum fuiſſe teſtatario comprobetur dominium ejus rei alienum, validum & ratum eſto. Hæres itaque rem legatam pretio quamvis extraordinario adquirito, legatario tradito, aut ubi rem eam comparare a domino hoc modo non poſſit, pretium rei extraordinarium legatario perſolvito.

§. 454.

Quod teſtatori a legatario aut ab altero, aut a teſtatore legatario debetur,

le-

legari rite potest. Si primum: hæres obligationem seu syngrapham fiduciariam legatario restituito, aut syngrapha absolutoria liberum eum a debito profitetor; si secundum: jus ipsi in debitorem alterum cedito; si tertium: aes legatario debitum a testatore & confessum agnoscito, & saltem die ad solvenda legata reliqua præfinito persolvito.

§. 455.

Jus pignoris aut fidejussio legato remissa creditum non tollit, & laxatis quamvis per legatum solutionis terminis, usura continuatur. Ea tantum debita, quæ ante testamentum contracta sunt, legato remitti possunt.

§. 456.

Inter legata rerum creditarum nec res locata aut usui alterius commodata, nec compensatio ob gestam administrationem a tertio assi hæreditario præstanda refertur.

§. 457.

Si teſtator certam alicui pecuniæ ſummam v. g. centum florenorum debeat, eique ſummam eam conceptis verbis leget; teſtator debitum ſumma ea exæquare & ſolvere voluiſſe non præſumitur: hæres ſummam duplici nomine, crediti & legati, duplo ſolvito.

§. 458.

Si teſtator neque ſumma neque re legata definita alteri generaliter id leget, quod debeat; legatum nullum eſto. Si ſumma legato eo finita ſit; hæres debitum agnoſcito, ſalvo creditorum, quibus ea res fraudi eſſe poſſit, jure, probationes debiti urgendi.

§. 459.

Dos legata aut conjugem alterum a rependenda dote ea liberat, aut hæredem obligat, ut conjugi pecuniam, rem, ſupellectilem domui mariti dotis nomine inlatam integram continuo reſtituat. Jus

ea in re idem quod de aliis legatis crediti debiti eſto.

§. 460.

Dos filiabus legata a parentibus, ni expreſſis teſtatorum verbis prælegata ſit, in legitimam earum vel teſtamentariam hæreditatis portionem putatur.

§. 461.

Si dotem teſtator perſonæ alicui infinite leget; dos & penus, ſuppellexve dotalitia ea eſſe cenſetur, quam pater in re domeſtica mediocri pro ſua conditione dare perſonæ debuiſſet, nulla habita facultatum legatarii ipſius ratione.

§. 462.

Eadem regula eſto, ſi perſonæ alicui penus tantum & ſuppellex dotalitia, ſi ſuſtentatio, educatio, victus, habitatio, domeſticus apparatus & ſimilia legata ſint.

§. 463.

Suſtentatio alimenta, victum & veſtitum, habitationem, diſciplinam & quidquid conditioni legatarii, dum vivit, uſuvenit, complectitur. Eadem eſt educationis ratio. Educatio ætate majore finitur. Victu, quidquid eſu, potu neceſſarium eſt in omnem vitam, intelligitur.

§. 464.

Apparatus domeſticus ſuppellectilem omnem, inſtrumenta & utenſilia juſto habitationis uſui, rei domeſticæ aut negotii geſtioni neceſſaria continet.

§. 465.

Si repoſitorium aliquod legatum ſit, quod per ſe non exſiſtit, ſed pars eſt totius, qualis eſt cella domus ſubterranea, armarium muro concluſum; res ſimul apotheca ſeu repoſitorio tali contentæ & quibus conſervandis repoſitorium deſtina-

na-

natum natura ſua erat, legatario collatæ eſſe præſumuntur.

§. 466.

Si armarium fixum non ſit, ſed mobile, ſi cella, pars domus non ſit, ſed totum per ſe; legatario in rem eo contentam jus non eſto.

§. 467.

Verba generaliter ſenſu ſuo vulgari & conſueto interpretanda ſunt, niſi comprobetur, teſtatorem verbis quibusdam ſenſum alium adhibere ſolitum fuiſſe, nec legatum aliter ratum eſſe poſſe.

§. 468.

Gemmarum & gazæ nomine veniunt lapides pretioſi & margaritæ. Quodſi gazam leget teſtator, cui nec gemma nec margarita ſit; præſumitur legaſſe carbunculos, ſiquos habuit, puniceos, corallia & quidquid mundo deſtinatum erat.

§. 469.

Argento teſtatoris legato neque ſignatum, neque illud continetur, quod tanquam pars rei alicui toti & individuæ circumdatum eſt, ceu horologio. Neque numiſmata antiqua aut recentiora ob rerum geſtarum memoriam cuſa pecuniæ, neque linteamina veſtibus, aut limbi reticulati, non adſuti, linteis, farina tritico, muſtum vino adnumerantur.

§. 470.

Rebus fluidis vaſa & dolia aſportandis iis comparata, pecuniæ chartæ & ſchedæ accenſentur, quæ in commercio loco pecuniæ numeratæ ſunt.

§. 471.

Si ſcrinium aut arca cum rebus omnibus in ea incluſis legatur; neque aurum neque argentum, nec gemmæ & lapides pretioſi aut pecunia, nec ſyngrapha fiduciaria teſtatori ab legatario tradita, ſi in arca repoſita fuerint, a lega-

to

to eximuntur. Accenſentur his etiam documenta & inſtrumenta, quæ alias teſtatoris rationes, alia ejus jura reſpiciunt, ſi præterea in arca ſcriniove nihil fuerit.

§. 472.

Dominium legatæ rei ſtatim a morte teſtatoris in legatarium tranſit; &, ſi res ea unica, individua, definita ſit, liberum eſt ipſi rem eam ſtatim petere; ſecus, ni aliter a teſtatore cautum fuerit, legata anno uno ab ejus morte perſolvuntur.

§. 473.

Legatario interea utilitas omnis e legato nata, uſura caduca, & aliud incrementum omne cedit. Atqui onera etiam omnia legato inhærentia, & detrimenta ferenda ipſi ſunt, ubi ſine alterius culpa vel imminuatur, vel plane intereat.

§. 474.

Ubi as hæreditarius exhauſtus plane non eſt; legatum ſuſtentationis & ali-

men-

mentorum ante omnia perſolvitor, isque legatarius a die quæſitæ hæreditatis alimentis ſibi debitis fruitor.

§. 475.

Reditus annui plura eſſe legata de anno in annum repetita finguntur, & fine cujusque anni perſolvuntor. Si inchoato jam anno altero legatarius moritur; reditus anni præteriti in hæredem ejus tranſeunt.

§. 476.

Quomodo creditor creditum ſatisdari ſibi exigere jure poteſt, ita & legatario jus eſto de legato ſatis exigere.

§. 477.

Relatio teſtamenti aut codicilli in libros publicos legatario jus pignoris non tribuit. Ut jus id adquirat, legatum nomine ſuo tanquam onus peculiari relatione inſcribi curato.

§. 478.

§. 478.

Legatum, quod legatarius vel non capere vult, vel non poteſt, ad aſſem hæreditarium pertinet. Si vero pluribus collatum ſit, qui pro una perſona ſunt, aut ſi pluribus ſimul & indiviſum legatum ſit, portio unius, qua excidit, reliquis pro rata, uti hæreditas cohæredibus, adcreſcit.

§. 479.

Si legata aſſem univerſum hæreditarium exhauriant; hæres non niſi impenſas in aſſem factas cum præmio operæ navatæ conſentaneo repetito.

§. 480.

Ubi hæres aſſis hæreditarii ſeu bonorum derelictorum adminiſtrationem ſuſcipere ipſe nolit, officium curatoris inſtituendi requirito, & interea de adeunda aut repudianda hæreditate deliberato.

§. 481.

Hæreditate ſupra vires onerata, ita ut perſolutis legatis æri alieno exſtinguendo, aut impenſis aliis neceſſariis & debitis amplius non ſufficiat; legata pro rata decerpenda & minuenda ſunt, & creditoribus præprimis ex aſſe ſatisfaciendum.

§. 482.

Ea, quæ teſtator e norma legum in ſubſidium pauperum, militum invalidorum, nosocomiorum, diſciplinæ publicæ teſtamento largitur, legata non ſunt, ſed tributa civitatis, etiam legitimis ab hæredibus pendenda, neque principiis privati juris, ſed legibus politicis definienda.

CAPUT XIV.

De
modis, quibus ultima voluntas vel reſtringitur, vel tollitur.

§. 483.

Teſtator hæredem ſub conditione certa, in diem certum aut certum in finem inſtituere poteſt, teſtamentum & codicillum, ni pactum obſit, mutare, & irritum facere.

§. 484.

Conditio dilatoria eſt, qua adimpleta jus hæreditarium evigeſcit. Reſolutoria eſt, quæ, quum exſiſtit, jus idem perimit.

§. 485.

Conditiones impoſſibiles & inlicitæ nullæ ſunto, neque jus hæreditarium differre, nec auferre poſſunt.

§. 486.

Conditio poſſibilis & licita, quamvis difficilis, inſolens, inutilis, in hæredis aut legatarii poteſtate ſit, aut a fato pendeat, ni omnino impleatur, jus hæreditarium non tribuit.

§. 487.

Conditio teſtamento præſcripta, ſi vivente adhuc teſtatore evenit, mortuo eodem nihilominus eſt præſtanda. Si repeti nequeat; conditio inter impoſſibiles eſto.

§. 488.

Conditio inlicita eſt, quæ hæredi legatariove, quibus nullum matrimonii impedimentum obeſt, vitam cælibem injungit. At licita eſt conditio, ne quis certam aliquam perſonam ducat, ne vidua,

dua, cui liberi ſunt, ad alia vota tranſeat.

§. 489.

Conditio ea viduitatis pudorem morum quoque & honeſtatem præcipit. Impudicitia itaque in judicio comprobata jus viduæ conditione viduitatis datum adimit.

§. 490.

Si hæres aut legatarius ante impletam conditionem dilatoriam decedat; jus hæreditarium in ſucceſſores eorum tranſit, quatenus poſt mortem illorum conditioni ſatisfieri adhuc poſſit.

§. 491.

Conditio negativa, in rei non eventum deſtinata, jus hæreditarium non ſuſpendit. Eventu ſubſequente jus idem exſtinguitur. Itaque ab hærede aut legatario cautio rei ſub conditione negativa acceptæ poſci jure poteſt.

§. 492.

Dies incertus institutionis, ita ut, an & quando exstiturus aut non exstiturus sit, nesciatur, v. g. dies legatarii nuptialis, pro conditione habetur.

§. 493.

Si dies præfixus necessario exstiturus est, v. g. post annos tres; jus hæreditarium non secus ac absolutum & perfectum in successores quoque transfertur, dilata in diem præfixum ipsa legatæ rei traditione.

§. 494.

Si planum sit, diem ultima voluntate præfixum exsistere nunquam posse, v. g. trigesimum februarii; conditio diei ejus pro conditione impossibili esto.

§. 495.

Quoad jus hæreditarium testamento fundatum ob conditionem non præstitam aut diem remotum & venturum suspen-

sum

ſum fluctuat; ni teſtator aliter caverit, ſucceſſioni legitimæ locus eſto.

§. 496.

Ubi teſtator hæreditatem aut rem legando certum aliquem finem & ſcopum diſerte propoſuit; res legata, quum tradita ea ſcopus & finis a teſtatore intentus eo certius attingatur, hæredi legatariove ſine mora traditor.

§. 497.

Si finis propoſitus commodum alterius aut boni communis, vel monumentum memoriæ teſtatoris deſtinet; judex, ut perficiatur, curato, & pro re nata cautionem & ſecuritatem patrandi finis exigito.

§. 498.

Si ſolo hæredis aut legatarii commodo finis proſpiciat; cautio nulla eſto. Si per ſe, aut per ea, quæ finem eum circumſtant, ſit impoſſibilis; finis is pro non propoſito nec commiſſo eſto.

§. 499.

Teſtator ſi perplexo & ancipiti modo hæredem ſuſpenſum diſtrahit, ut rem vel impoſſibilem vel inlicitam efficiat, aut non effecta legatum alteri ſolvat; modus nullus, legatum nullum eſto.

§. 500.

Teſtator dum vivit, conditum a ſe teſtamentum codicillusve an ſit ultima ejus voluntas, in incerto eſt. Juſtum teſtamentum poſterius, ſi conciliari utrumque nequit, priori derogat.

§. 501.

Ubi alicui uno pluribusve codicillis legata plura diverſa conferantur; codicillus codicillive præter teſtamentum ſcripti recte ſubſiſtunt. Si contrarii exſiſtant; in codicillis quoque prior voluntas poſteriore infirmatur.

§. 502.

Si, quæ poſterior ſit voluntas, dignoſci nequeat; ambo, quantum fieri id poteſt,

teſt, conjuncto tenore validæ & efficaces ſunto, ſervata communis dividundi regula.

§. 503.

Clauſula teſtamento codicillove adpoſita: teſtamentum quodcunque poſterius codicillumve in genere, aut ni definito aliquo ſigno notatum ſit, nullum & irritum eſſe, teſtatori poteſtatem non adimit mutandæ ultimæ voluntatis ſuæ; quodſi tamen poſteriore teſtamento codicillove clauſulam hanc generalem vel particularem expreſſis verbis non antiquet & revocet; voluntas ejus prior præ poſteriori rata & ſancta eſto.

§. 504.

Teſtator voluntatem ſuam priorem antiquaturus, ita ut novam non condat, inſtrumentum ipſum deleto, aut voluntatem ſuam rite revocato. E pluribus inſtrumentis conſonis ſi aliqua deleta ſint,

mutatam eſſe voluntatem ea re non inferunt.

§. 505.

Mutatam voluntatem retractatio teſtatoris autographa propria ejus manu ſubſcripta præcipue evincit: ore prolata teſtes eosdem, quos teſtamentum nuncupativum privilegiatum, ut valeat, requirit, excluſo jurejurando ſuppletorio.

§. 506.

Qui ſubſcriptum teſtamento nomen ſuum interſcindit, litura corrumpit, aut totum teſtamenti tenorem delet; is ruptum & irritum reddit teſtamentum. Si partem] deleat; parti deletæ quod ſupereſt, ratum eſto.

§. 507.

Tabulæ teſtamenti amiſſæ, caſu fortuito deletæ aut alio modo læſæ teſtamentum ipſum non infringunt, ſiquidem caſus fortuitus & tenor tabularum eo

mo-

modo, quo nuncupata teſtamenti revocatio, comprobetur.

§. 508.

Qui lege a jure ſucceſſionis arcetur, qui teſtamentum uti inlegitimum impugnat, tutelam teſtamento ſibi demandatam recuſat, aut res hæreditarias non viles amovet, ei legatum, quamvis diſerte retractatum non ſit, aufertur.

§. 509.

Legatum revocatum eſſe præſumitur, ſi teſtator creditum legatum repetit, rem alteri deſtinatam ſponte alienat, aut ita mutat, ut eadem non ſit, & forma rei & nomen intereat.

§. 510.

Si debitor creditum reſtituit inſtinctu proprio, ſi alienatio legati vitari haud facile potuit, ſi res inſcio & invito teſtatore mutata ſit, ſi non tenor & argumentum, ſed veritas & ſenſus ultimæ

vo-

voluntatis contradicitur; legatum ratum eſto.

§. 511.

Si teſtatori orbo poſt factum teſtamentum proles legitima, nepos aut pronepos naſcatur, rumpitur teſtamentum. Mortua itidem ante teſtatorem prole ea teſtamentum iterum evaleſcit.

§. 512.

Si nec hæres, nec ſubſtitutus hæreditatem adire aut velit aut poſſit; teſtamentum fit deſtitutum, & res cum onere ſuo & commodo redit ad cauſſam inteſtati. Hæredes legitimi omnem teſtantis voluntatem exſequi tenentur; qui ſi & hæreditatem repudient, legatarii pro rata hæredes ſunto.

C A-

CAPUT XV.

De pacto hæreditario ſeu ſucceſſionis.

§. 513.

Pactum hæreditarium ſeu ſucceſſionis eſt, quo quis poſt mortem bona ſua aut bonorum partem alteri promittit, isque promiſſioni rite adſentit.

§. 514.

Nuda & vaga declaratio, quamvis multos ante teſtes prolata, ſe alterum in futurum ſibi hæredem inſtituere velle, pactum eſſe hæreditarium non intelligi-

tur,

tur, niſi certum ea jus in partem hæreditatis deſtinatum & conceſſum ſit.

§. 515.

Siquis jus alteri concedat certam pecuniæ ſummam aut rem hæreditariam petendi ab hærede ſuo; non pactum hæreditarium, ſed creditum naſcitur, poſt mortem debitoris demum præſtandum, tradux morte creditoris, ſi prior decedat, in ejus hæredes, & cautione, ſi id petatur, ſecurum reddendum.

§. 516.

Jus hæreditarium pacto ſucceſſionis fundatum mortem teſtatoris ſupponit, neque ab hærede ex pacto, ſi prior decedat, in ſucceſſorem ſuum traduci, neque ob rem incertam futuræ hæreditatis ſatis exigi poteſt: pactum enim ſucceſſionis dominum non impedit, re ſua, quoad vivit, pro libitu uti.

§. 517.

§. 517.

Si vero fundi certi, capita pecuniarum, aut alia bona pacto hæreditario ſucceſſioni deſtinata ſint; hæredi ex pacto jus creditoris adquiritur, bonaque ſucceſſioni deſtinata pro re nata indolem fideicommiſſi induunt.

§. 518.

Pactum hæreditarium aut unilaterale aut bilaterale eſt, prout hæreditarium jus vel ab uno contrahentium vel ab utroque mutua promiſſione & acceptatione confirmatur.

§. 519.

In pacto hæreditario rite patrando obſervanda ſunt omnia, quæ in quovis pacto, teſtamento, codicillo perficiendo requiruntur.

§. 520.

Minores quamvis acceptare hæreditatem ſibi deſtinatam poſſint, pacto tamen hæreditatio diſponendi de re ſua inha-

habiles ſunto, quod ſine auctoritate tutorum pacto nullo obligare ſe poſſint.

§. 521.

Conditio impoſſibilis & inlicita pactum hæreditarium nullum efficit: conſenſus ea in re præſtitus jus nullum producit.

§. 522.

Pactum hæreditarium teſtamento non infirmatur. Bona pacto eo intacta ad hæredes ex teſtamento vel his deficientibus ad hæredes ab inteſtato devolvuntur.

§. 523.

Pacto hæreditario juri teſtamenti factionis omni renunciare nemo poteſt. At ſaltem quarta bonorum pars teſtamento reſervator, libera omnino, & nec portione legitima alteri debita, nec obligatione alia adfecta, adficiendave.

§. 524.

Proles legitima teſtatori orbo nata pactum hæreditarium ſolvit.

§. 525.

Mutua hæredis inſtitutio non pactum, ſed jus hæreditarium ex teſtamento efficit, atque ea inſtitutio ex utraque parte revocabilis eſt.

§. 526.

Conventio, qua parentes liberos dotant & collocant, aut de futuro hæreditatis jure cum ipſis tranſigunt, inter pacta hæreditaria non eſt. Neque enim ea re pars hæreditatis mortis cauſſa promittitur & ſtipulatur, ſed res & commodum inter vivos adquiritur.

§. 527.

Pacta itaque hæreditaria & teſtamenta differunt, quod hæc a teſtatore mutari ſemper & aboleri poſſint, illa ſimilitudine reliquorum contractuum diſſolvi, & e præſcripto legis reſcindi debeant.

§. 528.

Jus pacto hæreditario promittendæ alteri ſucceſſionis poteſtatem quoque infert, renuntiandi prius & in anteceſſum juri hæreditario ſuo.

C A-

CAPUT XVI.

De
ſucceſſione legitima & ab inteſtato.

§. 529.

Ubi teſtator teſtamentum legitimum non fecerit, partem bonorum inteſtatam reliquerit, aut perſonas, quibus partem hæreditatis debebat, inofficioſe præterierit; ſucceſſioni legitimæ pure vel pro parte locus eſt.

§. 530.

Deficiente teſtamento legitimo res tota ad proximos defuncti cognatos devol-

vitur. Si teſtamentum legitimum exſtet; pars ea bonorum, quæ nemini collata eſt, jure illis competit.

§. 531.

Si perſona ſpecialiter privilegiata in jure ſuo hæreditario teſtamento læſa ſit; beneficio legis utitor, & ex præſcripto capitis ſequentis portionem ſuam legitimam petito.

§. 532.

Neque reſpectu ſucceſſionis legitimæ quidquam intereſt, an proximi cognati incolæ ſint provinciarum hæreditariarum germaniæ, an ſubditi aliarum provinciarum civitatis auſtriacæ, an alienigenæ hæreditatis capaces.

§. 533.

Cognati proximi teſtatoris ſunt, qui cum eo linea proxima conjunguntur.

Cognationis lineæ ſequentes ſunt:

Qui

Qui ſub teſtatore tanquam capite ſuo conjunguntur, liberi & eorum poſteri primæ ſunt lineæ.

Pater teſtatoris & mater, & qui cum ipſo ſub patre eodem & matre conjuncti ſunt, fratres ſui & ſorores cum ipſorum poſteris, lineam ſecundam deſcribunt.

Linea tertia avum maternum & paternum, parentumque ſorores & fratres & horum poſteros,

Quarta proavum paternum & maternum & illorum poſteros;

Quinta teſtatoris abavum utrumque cum omni illorum poſteritate;

Sexta atavum utrumque teſtatoris cum omnibus ex eo natis & deſcendentibus complectitur.

§. 534.

Itaque ſi teſtatori liberi ſint legitimi; ad hos hæreditas omnis volvitur, mares ſeu feminæ, vivo an mortuo jam

teſtatore nati ſint. Si plures ſint liberi, hæreditas in capita æqua lance dividitor. Nepoti neptive ex liberis adhuc vivis, aut pronepoti proneptive ex vivo nepote nepteve jus ſucceſſionis legitimæ non eſto.

§. 535.

Si cui liberorum parentes, durante vita, liberalitatis cauſſa aut prædilectione permoti certam pecuniæ ſummam aut rem aliam tribuerint; jus inde nullum in fratrem eum ſororemve liberis reliquis eſto petendæ repenſionis aut rationis præſtiti ejus beneficii. Quod doti, collocationi, rei domeſticæ propriæ inſtruendæ antecaptum & inſumtum eſt; tantundem unicuique liberorum ante hæreditatis diviſionem rependitor.

§. 536.

Attamen liberum eſto parentibus repenſionem dotis præceptæ, ſumtuum collocationis, aut domeſtici apparatus filio

fili-

filiæve remittere & condonare, si in re satis diviti neque educatio, neque collocatio reliquorum liberorum impeditur. Ceterum nec parentibus, nec cognatis transversis jus petendæ repensionis ejus esto.

§. 537.

Si filius filiave ante testatorem mortua sobolem & scilicet nepotes neptesve dereliquerit; pars ea hæreditatis, quæ filio filiæve contigisset, derelictis nepotibus neptibusve æqua vice dividitor; mortui etiam nepotis, mortuæve neptis, qui quæve pro nepotes pro neptesve dereliquerit, pars rata & competens eadem ratione pronepotibus proneptibusve distribuitor. Si remotiores posteri testatoris supersint; hæreditas pro rata parte eadem lege dividitor.

§. 538.

Eadem est ratio dividundæ hæreditatis non solum, si ex liberis mortuis ne-

potes neptesve una cum liberis vivis, aut remotiores teſtatoris poſteri cum propioribus ſimul exſiſtant, ſed etiam quum hæreditas inter nepotes neptesve diverſorum liberorum, aut inter pronepotes proneptesve diverſorum nepotum neptiumve partienda eſt. Itaque derelicti ab unoquoque liberorum nepotes, neptesve & ex quovis nepote nepteve pronepotes proneptesve, quotquot demum ſint, nec majorem, nec minorem partem capere poſſunt, quam quæ aut filio filiæve mortuis, aut mortuo nepoti neptive obtigiſſet, ſi ſuperſtites fuiſſent.

§. 539.

Si poſterorum teſtatoris ſuperſit nemo; devolvitur hæreditas ad eos, qui cum eo linea ſecundo conjuncti ſunt, parentes ſuos, & illorum poſteros. Si pater materque hactenus ſint ſuperſtites, æquatis partibus hæredes ſunt. Si pater ſit mortuus aut mater mortua, mor-

tu

tui mortuæve liberi aut posteri in jus ejus succedunt, dimidiaque pars hæreditatis, quæ mortuo mortuæve obvenisset, inter illos ea ratione & lege dividitur, quæ supra §§. 534. 537. & 538. de divisione hæreditatis inter liberos & remotiores testatoris posteros definita est.

§. 540.

Mortuo utroque testatoris parente, pars hæreditatis dimidia, quæ ad patrem rediisset, inter liberos ejus derelictos eorumque posteros, quæ matri, si superstes fuisset, obvenisset, dimidia altera pars inter liberos ab ea derelictos illorumque posteros juxta §§. 534. & 537. dividitur. Si non alii quam communi thoro ex his parentibus procreati liberi, aut eorum posteri supersint; utramque semissem æquatis partibus inter se dividunto. Si præter hos exsistant liberi ab uno alterave, sive a patre & matre alio in connubio procreati; liberis uno

thoro a patre & matre natis aut eorum posteris tam ex paterna quam materna semisse legitima cum uterinis consanguineisve æqua portio debetur.

§. 541.

Mortuo uno testatoris parente absque liberis & posteris, universa hæreditas in parentem alterum devolvitur; quo quave nec superstite, in liberos ejus & posteros lege jam dicta dividitur.

§. 542.

Si parentes testatoris sine liberis decesserint; hæreditas in lineam tertiam avum testatoris paternum & maternum, aviamque paternam & maternam, eorumque posteros revolvitur, æquataque in duas partes pro dimidia in parentes patris, eorumque posteros, pro dimidia altera in parentes matris, eorumque posteros convertitur.

§. 543.

§. 543.

Dimidia utraque inter avum aviamque lateris utriusque, ſi ſint ſuperſtites, æqua lance dividitur. Si avus aviave, aut ambo deceſſerint; dimidia pars lateri huic aut illi devoluta inter liberos & deſcendentes avi hujus aviæve ea lege, qua caſu ſupra demonſtrato tota hæreditas inter liberos & poſteros parentum teſtatoris dividitur.

§. 544.

Si mortuis vel paterno vel materno e latere avo aviave nec ex avo, nec ex avia poſteri ſuperſtites ſint; avo aviæve ex altero latere ſuperſtiti, & deficientibus his, liberis eorum & poſteris hæreditas tota devolvitur.

§. 545.

Exſtincta linea tertia in quartam ſucceſſio legitima retrograditur. Linea quarta parentes avi paterni & eorum poſteros, aviæ paternæ parentes & poſteros

eor-

eorum, avi materni patrem matremque cum illorum posteritate, & postremo parentes aviæ maternæ cum posteritate eorum complectitur.

§. 546.

Si e quatuor his stirpibus seu familiis agnati cognative superstent; hæreditatis inter eos quadripartitæ pars singula inter ejusdem stirpis seu familiæ personas ea, qua inter parentes testatoris eorumque posteros as hæreditarius, lege subdividitur.

§. 547.

Exstincta lineæ hujus stirpe seu familia una, pars ejus non omnibus tribus reliquis adcrescit; namque exstincta stirpe una paterni lateris, pars hæreditatis dimidia in stirpem alteram ejusdem lateris, & e converso exstincta una stirpe materni lateris pars eadem dimidia in stirpem alteram lateris ejusdem pari ratione transit. Si stirps utraque paterni & materni

la-

lateris exſtincta ſit: tota hæreditas in ſtirpes duas ex altera parte ſuperſtites, & deficiente una, in alteram ex ea parte ſtirpem ſuperſtitem redit.

§. 548.

Ubi e linea quarta neque agnatus neque cognatus ſupereſt; hæreditas in lineam quintam, teſtatoris abavos abaviasque & eorum earumve poſteritatem aſcendit. Quinta linea ſtirpes octo ex avi paterni avo paterno aviaque paterna; ex avi paterni avo materno aviaque materna; ex aviæ paternæ avo paterno aviaque paterna; ex aviæ paternæ avo materno aviaque materna; ex avi materni avo paterno aviaque paterna; ex avi materni avo materno aviaque materna; ex aviæ maternæ avo paterno aviaque paterna; ex aviæ maternæ avo materno aviaque materna comprehendit.

§. 549.

§. 549.

Stirpium harum jus æquum hæreditatis inter ſe eſt, & ubi ex omni ſtirpe agnati cognative ſuperſint; diviſa in partes octonas hæreditate pars hæreditatis ſingula in perſonas cujuscunque ſtirpis lege in alias lineas præſcripta ſubdividitor.

§. 550.

Una ex octo his ſtirpibus exſtinita pars hæreditatis avis paternis avi aviæve debita ad ſtirpem avorum maternorum avi ejusdem aviæve; pars avis maternis avi aviæve debita ad ſtirpem avorum paternorum avi ejusdem vel aviæ devolvitur.

§. 551.

Exſtincta ſtirpe utraque avi aviæve, partes hæreditatis in paternum teſtatoris latus vergentes in ſtirpes paterni lateris ſuperſtites; quæ in latus teſtatoris maternum vergunt, in ſtirpes materno e latere

tere superstites volvuntur. Quodsi vel ex stirpe quaterna paterni, vel ex quatuor stirpibus materni lateris superstes nec agnatus nec cognatus sit; tota hæreditas ad stirpes conversa ex parte superstites vertitur.

§. 552.

Exstincta postremo linea quinta successio legitima in sextam, testatoris atavos ataviasque, & eorum earumve posteros incumbit. Sex & decem stirpes linea sexta continentur, quæ sunt eorum parentum, ex quibus progenitores seu patres matresque lineæ quintæ processere. Ubi ex omni senadena stirpe agnati cognative superstites sunt; hæreditatis universæ in decem & sex partes æquatæ pars singula in stirpes singulas, habita e legum supra definitarum norma stirpis cujusque cognatorum ratione, subdividitor.

§. 553.

Si ſtirpium aliquarum conſanguinei non exſtent; partes earum in ſtirpes ſuperſtites, quæ ex præſcripto §. 547. & 550. cum exſtinctis propius conjunctæ ſunt, divergunt. Ubi non niſi ex una ſtirpe cognati ſuperſint; tota ad eos hæreditas redit.

§. 554.

Qui teſtatorem utroque latere contingit, is eo jure hæreditario utitur, quod ex utraque ſui cum teſtatore cognatione procedit.

§. 555.

Sex his lineis jus ſucceſſionis cognatorum legitimæ in liberum & teſtabile patrimonium includitur. Cognatorum cum teſtatore ſeptima aut remotiore linea jus in bona ejus derelicta nullum eſto.

§. 556.

Hoc ſcilicet caſu, ubi teſtatori e deſcriptis ſex lineis cognatus agnatusve non ſuperſit; hæres ſuus conjux ejus lege eſto. Quodſi nec conjux ſuperſtet; hæreditas caduca declaratur, & vel a fisco, vel ab iis, quibus ad vindicandas ejusmodi hæreditates jus aliquod lege datum eſt, occupatur.

§. 557.

Præterea ſuperſtes conjux, nulla habita ratione, propriam rem, nec ne habeat, cum liberis pro parte æquatur, ejusque partis, dum vivit, uſufructu gaudet, ſalvo liberis portionis ejus dominio. Si nec liberi ſuperſtites ſint; plenum conjugi ſuperſtiti in quadrantem hæreditatis dominium eſto; imputata in partem hanc vel illam ſumma contractu matrimonii ſuperſtiti conjugi ex bonis conjugis alterius ſtipulata.

§. 558.

Liberi citra matrimonium procreati, conſequente parentum connubio legitimati eodem jure cum legitimis, & reſpectu ſucceſſionis legitimæ pares legitimis ſunto, ſervata tamen §. 135. partis primæ lege.

§. 559.

Filio filiæve illegitimis favore legislatoris legitimatis in hæreditatem paternam tantum juris eſto, quantum pater actu legitimationis certe conceſſit, & ſine noxa reliquorum liberorum ſuorum concedere potuit.

§. 560.

Reſpectu matris legitimorum & illegitimorum in ſucceſſione legitima jus æquum eſto; conceſſa matri poteſtate cum liberis illegitimis de renuncianda hæreditate tranſigendi.

§. 561.

Parentibus in bona liberorum legitimatorum, ſi decedant, vice verſa jus idem eſto, quod liberis in bona defunctorum parentum conceſſum eſt. Si manſerint illegitimi; jus ſucceſſionis legitimæ non niſi matri eſto, excluſo patre, avis omnibus, eorumque cognatis.

CAPUT XVII.

De legitima.

§. 562.

Personæ, quas teſtator teſtamento præterire & ab hæreditate excludere jure nequit, inprimis ſunt liberi ejus: liberis non exiſtentibus parentes, & poſtremo conjux ejus, quamvis & liberi & parentes ſuperſint.

§. 563.

Officia & obligationes parentum in liberos, liberorum in parentes, conjugum in

in conjuges durante vita tertio & quarto capite partis primæ deſcriptæ & definitæ ſunt. At vero etiam in caſum mortis reſpicere ſeſe invicem & rationem ſui habere tenentur, eoque officio jus dominii lege circumſcribitur.

§. 564.

Liberorum nomine nepotes etiam neptesve, pronepotes, proneptesve; parentum nomine avi omnes aviæque intelliguntur; nullo diſcrimine ſexus aut conditionis naſcendi legitimæ, illegitimæve, quando ordo, ſeries & jus ſucceſſionis legitimæ perſonas tales deſignat & vocat.

§. 565.

Pars hæreditatis, in quam perſonis his jus eſt, portio adpellatur legitima; hæredes portionis ejus vocantur neceſſarii.

§. 566.

Portio legitima minori pars dimidia, majori pars tertia ejus partis, quae uni alterive successione legitima & ab intestato pertinuisset, lege esto.

§. 567.

Parentibus portio legitima esto triens assis liberi haereditarii, ea ratione, ut exstante quamvis testamento haeredi unicuique necessario ascendenti pura tertia remaneat ex eo, quod ex successione legitima & ab intestato singulis obvenisset.

§. 568.

Conjugi legitima portionis ab intestato ipsi devolutae tertia pars esto. Ni liberi exstent; portio legitima pleno & libero conjugis ejus domino relinquitor: si exstent; usumfructum ejus portionis habeto.

§. 569.

Ut portio legitima rite definiatur, describendae adcurate sunt res omnes mobi-

biles & immobiles ad aſſem hæreditarium pertinentes, jura omnia & prætenſiones, quas teſtator ſucceſſoribus ſuis transmittere libere poterat, quidquid denique vel hæres vel legatarius aſſi hæreditario debet, eaque omnia pretio juſto rite æſtimanda.

§. 570.

Bona aliena, & quidquid teſtatori liberum non erat teſtamento aliis conferre, ad aſſem hæreditarium non pertinet; detractis ab aſſe debitis, antiquis oneribus & juribus iis, quæ cum teſtatore exſtinguuntur.

§. 571.

Portio legitima ante legata & onera alia omnia ex ultima voluntate naſcentia hæredibus neceſſariis perſolvitor; ſi res in hæreditate exſtent diviſibiles; juſta rerum diviſione: ſi ſint indiviſibiles; pretio communi & ordinario perſolvitor.

§. 572.

Quidquid hæredes neceſſarii aut legato aut fideicommiſſo, ſubſtitutione, pacto ſucceſſorio aut alia teſtatoris juſſione ex aſſe hæreditario vere percipiunt, id omne in definienda portionis ipſorum legitimæ rata imputatur. At portio legitima nec conditione ulla reſtringi, aut modo aliquo onerari poteſt.

§. 573.

Commoda quæcunque teſtator in hæredem neceſſarium mera liberalitate, largiendo penſionem annuam, vel alia ratione inter vivos contulit, portioni legitimæ non imputantor.

§. 574.

Aes alienum liberorum jam collocatorum a parentibus perſolutum, dos data, aut impenſa quævis in ſubſidium illorum collata portioni legitimæ decrecit.

§. 575.

Pecuniæ patri aut matri commodatæ portioni legitimæ non imputantur, niſi jubente id verbis expreſſis teſtatore.

§. 576.

Conventio & diſpoſitio ſcripto matrimonii contractu inter conjuges mortis cauſſa inita & præſtabilita parti ſuperſtiti jus adimit legitimæ portionis.

§. 577.

Nec pacto ſucceſſorio, nec teſtamento legitimæ portioni offici poteſt. Neque vero pupillari ſubſtitutione pater legitimam a matre poteſt perimere.

§. 578.

Qui ex præſcripto capitis decimi aut ob conditionem ſuam aut actionem aliquam legibus contrariam inhabiles ſunt hæreditarii juris, iisdem nec portionis legitimæ petendæ jus eſto. Itaque portiones illorum aſſi hæreditario adcreſcunt.

§. 579.

Aliæ præter has cauſſæ a legitima excludunt. Liberi poſſunt exhæredari:

1.) Si a religione chriſtiana deſciſcant.

2.) Si patrem matremve ob delictum civile vel criminale (excepto perduellionis crimine) judici denuncient aut criminando publice infament.

3.) Si parentum vitæ inſidientur, aut nefarias ipſis manus inferant.

4.) Si in captivitate jacentes aut alia calamitate preſſos impie derelinquant.

5.) Si aſcendentem lineam inceſtu polluant.

6.) Si parentibus denunciatione aut alio malo conſilio damnum cauſent, quod legitimam eorum portionem exæquet aut exſuperet.

7.) Si turpi coetui ſocientur.

8.) Si filia juſti & decentis matrimonii impatiens corpore quæſtum faciat.

§. 580.

Admiſſa ejusmodi noxa in parentem unum, alteri quoque poteſtas eſto adimendæ portionis legitimæ filio filiæve degeneri.

§. 581.

Poſſunt & a legitima excludi parentes:

1.) Si ſint religionis chriſtianæ deſertores.

2.) Si nulla omnino, aut prava & corrupta educatione liberos ſponte ad vitia & ſcelera inſtituant, aut miſeros & inopes derelinquant.

3.) Si filium filiamve falſo & malitioſe delicti criminalis inſimulent & denuncient.

4.) Si vitæ filii filiæve, conjugis aut poſterorum ejus inſidias ſtruant.

5.) Si conjugem ejus nefarie adulteraverint.

§. 582.

§. 582.

Quamvis una alterave ex recenſitis exhæredationis cauſſis vel in parentibus vel in liberis exſiſtat; legitima porro nec filio filiæve lege ſeu ex officio ideo adimitur, niſi teſtator exhæredationem cauſamque ejus legitimam teſtamento ſuo expreſſerit.

§. 583.

Conjugi legitima admitur

1.) Ex quavis cauſſa, qua parentes & liberi exhæredantur.

2.) Commiſſo adulterio.

3.) Nefaria conjugis alterutrius derelectione.

4.) Data anſa ſeparationis a menſa & thoro perpetuæ.

Neque enim noxa conjugis unius ſimili alterius noxa compenſatur & tollitur.

§. 584.

Hæres cauſſam exhæredationis comprobato, & verbo & ſenſu legis funda-

tam

tam evincito: ni faciat; jus eſto excluſo hæredi neceſſario perſequendæ legitimæ ſuæ. Teſtamenti capita alia impugnare ideo ne fas eſto.

§. 585.

Atqui nec hæres neceſſarius ob id, quod integra legitima ei legata non ſit, teſtamentum infirmat: quod legitimæ deeſt, in judicio petito.

§. 586.

Quin & parentes & conjuges teſtamento præteriri omnino poſſunt, ita ut teſtamentum non corruat. Legitima hoc caſu pro rata portionum hæreditariarum & legatorum ex omni aſſe hæreditario decerpta præteritis perſolvitor. At vero filium filiamve teſtamento præterire ne fas eſto. Teſtator ei portionem ſuam legitimam legato, aut expreſſis verbis adimito: ni fecerit; totum teſtamentum nullum eſto.

§. 587.

Hæredem neceſſarium, prodigum, ſi periculum ſit, ne portio ejus legitima aut integra aut maxima ex parte a creditoribus ſuis occupetur, portione ſua legitima privare fas eſto, ita tamen, ut portio ea liberis ſuis obveniat.

§. 588.

Hæredem neceſſarium a legitima exclusum, fas non eſt, alimentis ad vitam neceſſariis privare eaque illi denegare. Et parentes liberis & liberi parentibus miſeris & inopibus ex bonis a ſe derelictis alimenta præbere coguntur. Eadem eſt obligatio inter conjuges divortio nondum ſejunctos.

C A-

CAPUT XVIII.

De addicenda hæreditate.

§. 589.

Patrimonium defuncti judex, cui decedens propriis bonis inſtructus ultimi & conſueti domicilii ſui cauſſa parebat, coram teſtibus duobus ex officio obſignato, quod ſignum judicii adponere ajunt. Mortium indicia celerrima inſtitutis politicis procurantur.

§. 590.

Si res relicta in manu perſonarum ſit, quibus teſtator exſequendam ulti-

mam voluntatem ſuam demandavit, aut penes hæredes præſumtos, & habiles rei gerendæ ſuæ, exſiſtat, penes quos de eadem metuendum non eſt; paucula tantum ſupellex, exercendæ jurisdictionis gratia, ſub ſigno publico adſervator.

§. 591.

Deſtitutus his principiis judex rem arctiori vinculo cuſtodito, & dum aut hæres exſiſtat, aut curator rei detur, cuſtodiæ fidæ alicujus perſonæ committito. Pecuniam omnem præſentem, ad uſum non neceſſariam, chirographa æris alieni publica & privata, aurum, argentum, lapides pretioſos judex in manum ſuam avocato.

§. 592.

Res non amovibiles, in re gerenda domeſtica & familiari neceſſariæ, aut quæ ſervari diu nequeunt, non obſignantor, ſed peculiari inventario deſcriptæ,

tæ, rei domeſticæ procuratori utendæ vel utiliter alienandæ permittuntor, ſalva accepti expenſi relatione.

§. 593.

Res hæreditarias in aliena jurisdictione exſiſtentes judex loci literis quæſitus cuſtodito, dum judex, cui perſona teſtatoris tempore mortis ſuberat, amplius iis providerit.

§. 594.

Judex teſtatoris perſonalis univerſam hæreditatem, quamvis teſtatoris bona immobilia aliena in provincia exſiſtant, procurato.

§. 595.

Hæreditatem ſibi quæſitam proprio marte & jure capeſſere ne fas cuiquam eſto. Jus hæreditarium, ſiquod in re derelicta ſibi eſſe credat, judici competenti oſtendito, juſtis rationibus comprobato, atque ita hæreditatem adquirito.

§. 596.

Quum jus hæreditarium non niſi morte teſtatoris enaſcatur; judex ante omnia de morte teſtatoris aut mortis ejus declaratione convictus indagato, ſcriptum an nuncupatum teſtamentum exſiſtat? aut in quem jus hæreditarium ſit devolutum?

§. 597.

Teſtamentum ſcriptum ſiquis cuſtodiendum acceperit, aut nuncupativum ut teſtis exceperit, ſpatio dierum octo a comperta teſtatoris morte aut judici, cui jus eſt addicendæ hæreditatis, aut ſuo ipſius competenti judici, quo debite promoveatur, id oſtendito; ni faciat, damnum incuria ſua datum omne præſtato.

§. 598.

Qui teſtamentum dolo malo in alterius fraudem delet, intervertit, celat, falſi reus eſto.

§. 599.

Teſtamentum ſcriptum judici oblatum, coram duobus teſtibus facie extima examinatum & exploratum, inlæſo ſigillo, inlæſaque ſcriptura effractum, perlegitor. Qui publicus actus adverſariis publicis ſeu protocollo inſcribitor, vitiis, ſiqua occurrerint, notatis, documentis, quæ teſtator adſtruit, quæſitis, & ad acta relatis.

§. 600.

Teſtamentum autographum, nullo teſte ſubſcriptum, ſi ſuſpicionem moveat ficti ſigni, aut ſcripturæ fallaci imitatione adumbratæ, ſumma cum cura examinator, habita & notata diligenter ratione temporis, loci, perſonæ, ubi, quando, & a quo teſtamentum illud repertum & oblatum ſit.

§. 601.

Si nuncupatum & ſcripto unanimi teſtium documento confirmatum teſtamen-

tum offeratur; teſtibus ſtatim audiendis ſuperſederi poteſt. Quod ſi teſtimonia talia non ſint unanimia aut in controverſiam cadant; petente parte, cujus ea intereſt, cui & jus eſt interrogatoria teſtium offerendi, teſtes, quin ferenda ſit ſententia, ad protocollum audiendi & jure jurando conſtringendi ſunt, quo facto unicuique, cujus id intereſt, ulterior patet juris ſui actitatio.

§. 602.

Declaratio ultimæ voluntatis quoquo modo facta, ſeu ſcripta, ſeu nuncupata, judici oblata, publice legitor. Quæ juſſa ea voluntate ultima moram non patiuntur, ea hæredi procuratorive ejus confeſtim notificanda ſunt. Authenticum declarationis ejus ultimæ exemplar, cujuscunque intereſt, petere liberum eſto.

§. 603.

Si plura ſint judici oblata teſtamenta ejusdem teſtatoris; aperienda omnia & publicanda ſunt.

§. 604.

Si vel teſtamento vel alia ratione palam ſit, perſonam teſtatoris tempore mortis alieno ſub judice fuiſſe; teſtamentum judici illi transmittitor, ſervata interim & cuſtodita diligenter re penes defunctum reperta.

§. 605.

Si decedens bona immobilia in alia provincia dereliquerit; judici illius provinciæ ad ipſius vel partis petitionem archetypon ſive originale inſtrumentum ejus teſtamenti inſpiciendum deſcribendumque transmittitor; injuncta reſtituendi teſtamenti conditione & retento exemplari uno archetypi authentico.

§. 606.

Petens hæreditatem ex pacto, instrumentum pacti successorii judici, cui jus est addicendæ hæreditatis, exhibeto; instrumenti publicationem postulato; quæ in petenda addicendave hæreditate in foro necessaria sunt, rite obito.

§. 607.

Si nec testamentum, nec pactum successorium exsistat; petentes hæreditatem, comprobato legitimo suo & ab intestato succedendi jure, judex tuetor.

§. 608.

Cui liber est usus juris hæreditarii sui, ei & liberum esto, hæreditatem cum omni suo commodo & onere vel adire, vel repudiare. Incapaces rei gerendæ suæ ex præscripto capitis quinti partis primæ hac, uti omni alia in re, tutor & curator repræsentato.

§. 609.

§. 609.

Si hæres ſcriptus ſit, cui & jus hæreditarium ab inteſtato pertinuiſſet; fas ei non eſto jure ſuo ſucceſſionis legitimæ uti, atque ita teſtamentum convellere. Quod converſa ratione iis conceditur, quibus legitima debetur, quique ea contenti ſunt.

§. 610.

Hæres notus ſpatio ſex menſium a morte teſtatoris coram judice, cui jus eſt addicendæ hæreditatis, voluntatem & animum adeundæ vel repudiandæ hæreditatis declarato.

§. 611.

Si hæres, declaratione edita nulla, intra ſex hos menſes decedat; jus defuncti hæreditarium in hæredes ejus tranſit, niſi ſi teſtator excluſerit eos, aliosque ipſis hæredes ſuffecerit. Hæredibus jus deliberandi non eſto, niſi in reſidu-

Pars III.

um ex præfinito ſex menſium ſpatio tempus.

§. 612.

Spatium deliberandi gravioribus ex cauſſis in tres ulteriores menſes prorogari poteſt. Si nec prorogatio poſtuletur, aut tempus præfixum jam exſpiraverit; curator aſſi hæreditario dandus eſt, hæredique aut per curatorem aut per alium, cujus ea intereſt, nunciandum, ut ſpatio menſis unius, peremtorio juris hæreditarii ſui, voluntatem adeundæ vel repudiandæ hæreditatis declaret.

§. 613.

Poteſtas hæredi libera eſto hæreditatis abſolute & ſine conditione, aut cum beneficio legis & inventarii adeundæ.

§. 614.

Si cum legis hoc beneficio hæreditatem adit; judex ſumtu aſſis hæreditarii inventarium inſtituito; hæres onera aſſis

cre-

creditoribus & legatariis hactenus præstato, qua vires hæreditatis sufficiunt, salvo sibi, siquod alioquin est, in ipsum assem jure.

§. 615.

Testator neque hæredem beneficio eo legis privare potest, neque inventarii confectionem prohibere. Remissio seu renunciatio conficiendi inventarii, pacto successorio quamvis diserte expressa, nulla esto.

§. 616.

Inventarium a duobus viris judicii coram testibus duobus, testatoris domesticis vel vicinis, adhibitis, quibus opus est, publicis juratis rerum peritis, quos æstimatores vocant, conficitor. Personæ judicii delegatæ assem derelictum cum omni onere adcurate describunto. Aestimatores rerum hæreditariarum pretia finiunto.

Pars III.

§. 617.

Liberum esto unicuique, cujus ea refert, conficiendo inventario interesse & exemplar ejus legitimum sumtu suo expetere, immo & personas, quibus res hæreditaria aut conservanda aut administranda tradita fuit, ad veritatem rerum omnium hæreditariarum indicatarum jurejurando confirmandam adigere.

§. 618.

Qui sine beneficio inventarii hæreditatem adit, is creditoribus omnibus in creditum, legatariis in legata obligatur, ipso hæreditatis asse quamvis non sufficiente.

§. 619.

Gesta innocenter assis hæreditarii administratio hæreditatis adeundæ declaratio non esse censetur. Qui injuste hæreditatis gestionem sibi usurpat, is damnum omne caveto.

§. 620.

§. 620.

Fas quoque esto hæredibus necessariis, creditoribus de credito non securis, partibus de jure hæreditario certantibus confectionem inventarii postulare & urgere. Si hæredes necessarii creditoresve petant; sumtus conficiendo inventario necessarius ex asse hæreditario carpitor: si partes litigantes urgeant; sumtum pars victa de suo pendito.

§. 621.

Si creditor assis hæreditarii periculum timeat, ne, confusa hæreditate cum alia propria hæredis re, bona ita conjuncta soluendo æri alieno & assi hæreditario, & hæredis patrimonio incumbenti amplius non sufficiant; separationem hæreditatis a proprio hæredis patrimonio postulato, creditum hæreditati separatim adscribi & prænotari petito. Si faciat; jus omne in reliquum hæredis patrimonium amittito.

§. 622.

Si futurus hæres habilis hactenus non ſit obligandi ſeſe, aut rei administrandæ ſuæ: ſi hæres incertus ſit aut domicilium ejus ignotum; judex inventarium ex officio, ſecus petente aliqua parte, conficito.

§. 623.

Qua ratione minorum & eorum, qui rebus ipſi ſuis ſupereſſe nequeunt, commodis proſpiciatur, capite quinto partis primæ definitum eſt. Hæredibus, quorum vel perſona vel domicilium incognita ſunt, curator datur, obſignata arctius hæreditate & inventario confecto.

§. 624.

Si hæres notus, domicilium ignotum ſit; curator inſtitutus vacuam & devolutam ipſi hæreditatem edicto publico ſine mora divulgato. Si hæres lateat, neque ſe prodat; hæreditas hactenus curæ & adminiſtrationi judicis demandator, dum

hæ-

hæres lege mortuus declarari poſſit. Declarata publica hæredis morte, tum denique cauſſa hæreditatis addicendæ inchoanda atque ita pertractanda eſt, ac ſi hæres tempore hæreditatis factæ jam deceſſiſſet.

§. 625.

Si judici conſtet, hæredes exſtare legitimos, non conſtet, cui præ ceteris jus hæreditarium competat; idem eſto modus de vacua hæreditate publice edicendi, isque hæres eſſe cenſeatur, cui inter hæreditatem petentes lex potiſſimum favet; ſalvo & integro jure hæreditario, quod hæredi legitimo ſpatio lege præfinito patet. Si hæreditatem nemo petat; res hæreditaria a judice in tempus finitum adſervata & adminiſtrata tandem pro derelicta habetor.

§. 626.

Edicto quoque locus eſt, ſi judici ignotum penitus ſit, an teſtatori hæres

ſit

ſit legitimus. Si nemo exſiſtat, qui præſcripto tempore petat; hæreditas fiſco cedit, non ſublato interim ſucceſſionis jure; quo comprobato, hæres quivis legitimus repetere hæreditatem & vindicare poteſt.

§. 627.

Neque ſufficit, ut edicta publicandæ ſucceſſionis, prout aſſolet, ephemeris & diariis publicis inſerantur. Per tres in ordine annos omni anno repetita vice principio januarii & julii iteranda, & quæ detrimenta negligentiam in oſtendendo jure hæreditario ſuo lege conſequantur, adcurate exprimenda ſunt.

§. 628.

Si domicilium hæredis vel teſtamento vel lege vocati notum ſit; literis de hæreditate certior continuo redditor. Ni intra hebdomadas ſex reſpondeat; literis requiſitoriis judici loci, ubi habitat, transmiſſis, voluntas ejus & animus cernendæ

dæ hæreditatis explorator, expreſſa clauſula, ni anno uno & hebdomadis ſex voluntatem ſuam diſerte pronunciet, ſilentium ſuum ita habitum iri, ac ſi juri ſuo hæreditario renunciaviſſet.

§. 629.

Negotia pendente ſuceſſionis cauſſa exorta, quæ differi nequeunt, aut pro re nata curator, aut inſtitutus a teſtatore exſequutor teſtamenti procurato; exſequutoris eodem loco & conditione eadem eſto ac datus a domino rei ſuæ procurator.

§. 630.

Si vidua teſtatoris cum aliqua veriſimilitudine prægnantem ſe dicat; alimenta matri usque in ſextam a partu hebdomaden pro defuncti facultatibus & dignitate mulieris ſubminiſtrantor. Si creditores obæratum aſſem hæreditarium urgeant; rationem judex inito ſolvendi æris alieni.

§. 631.

Si res poſcat, curator creditores edicto citato, termino ad ſummum unius anni & ſex ſeptimanarum præfixo, quo iis, qui compareant, pro rata ſatisfiat, qui non compareant, ad id, quod ex aſſe reſiduum eſt, relegentur.

§. 632.

Quamprimum cognoſcitur, ad quem ob factam vel cum conditione vel ſimpliciter & ſine conditione hæreditatis adeundæ declarationem jus hæreditarium pertineat: hæreditas hæredi traditur, facta traditio protocollo notatur, cauſſa & actus ſucceſſionis finitur.

§. 633.

Si teſtator rationes cum ærario publico habuerit; judex hæreditatem non prius addicito, quam rationes teſtatoris omnes ſubductæ & abſolutæ ſint.

§. 634.

§. 634.

Judicis officium præterea non eſt providere, ut creditoribus ſatisfiat, aut ſecuritati illorum conſulere. Neque vero hæreditatis addictio differenda eſt, dum legata perſolvantur. Satisfecit officio ſuo hæres, ſi comprobaverit, ſe legatariis de legata ipſis re nunciaviſſe, & voluntatem teſtatoris pro virili parte impleviſſe, aut ejus rei cauſſa aptam congruam ſecuritatem præſtitiſſe.

§. 635.

Præſcriptis politicis edocetur judex, quid in cauſſis ſucceſſionum peragendis, priusquam hæreditatem addicat, vel nomine ſtipis ad pias infirmorum, pauperum & ſcholarum cauſſas cogendæ, vel mortuarii, vel tributi ex aſſe hæreditario legatisve pendendi, aut cenſus hæreditatis exportandæ decernendum porro ſibi ſit.

§. 636.

Addicta hæreditate hæres in possessionem immissus tentari & turbari a nemine potest, nisi qui adulta nondum præscriptione melius aut æquum cum suo jus hæreditarium sibi esse contendat, & vel testamento, vel pacto successorio, vel jure successionis legitimæ impugnato & contradicto, consequentem actionem moveat.

§. 637.

Actio hæc datur in eum, qui jus sibi hæreditarium usurpando hæreditatem possidet. Qui non ipsum jus hæreditarium, sed dominium certæ hæreditariæ rei contradicendo persequitur, is, omissa petitione hæreditatis, jure dominii agito.

§. 638.

Actor si jus suum hæreditarium plena probatione evincat, atque ita ad reddendam hæreditatem omnem, vel partem hæreditatis condemnetur; controversiæ

de

de reſtituendis perceptis a poſſeſſore fructibus, aut impenſis in rem hæreditariam factis forte orituræ definiendæ & dijudicandæ ſunt principiis iis, quæ capite ſecundo reſpectu bonæ malæve fidei poſſeſſoris ſtabilita ſunt.

§. 639.

Si hæres lege pro mortuo declaratus iterum exſiſtat; hæres in poſſeſſionem immiſſus hæreditatem ei cedito, aut pretium hæreditatis, quod hactenus eſt in manu ſua, rependito. Immiſſo hæredi alimenta neceſſaria debentur. Poſſeſſor tertius cum bona fide in res hæreditarias intervallo temporis hujus quæſitas obligatur nemini.

CAPUT XIX.

De communione dominii & aliorum jurium realium.

§. 640.

Res vacua, & nullius ſi a duobus vel pluribus ſimul occupata ſit; ſi fruges eorum, vina ſeu res aliæ hujusmodi mobiles permixtæ confundantur, termini agrorum quocunque demum modo interciderint, neque agnoſcendi amplius ſint; ſi legatum denique aut rem aliam integram ab altero ſibi traditam in ſe recipiant aut ipſi inter ſe conferant & mutuo tradant; commune fit dominium.

§. 641.

Jus unum idemque, indiviſum, pluribus ſimul competens, communionem con-

conſtituit. Communio rerum eſt, ſicuti ſocietas eſt perſonarum.

§. 642.

Ut communio vel caſu vel mutuo conſenſu exoritur, ita jura ſociorum & obligationes vel ex ipſa rerum natura vel ex declarata voluntate, qua nititur, pacti vel teſtamenti definiuntur.

§. 643.

Quoad ſocii & participes omnes conſentiunt, una eſſe eademque perſona cenſentur, jusque eſt omnibus libere utendæ communis rei: ſi diſſentiunt, ſocio jus non eſto ſtatuendi quidquam de parte alterius. Qui mutationis quidquam in re molitur, renitenti & contradicenti alteri jure cedito.

§. 644.

Quodſi mutatio propoſita ita ſit comparata, ut ex ea rei conſervatio aut fructus uberior pendeat; ſuffragiis initis vota majora de mutandæ rei propoſito de-

cidunt, non pro numero ſociorum, ſed pro ratione collatæ partis computanda.

§. 645.

Victis jure ſuffragii jus eſto aut diſſolutionem communionis, aut ſi intempeſtiva & perniciosa ea diſſolutio foret, ſatisdationem damni infecti petere.

§. 646.

Si paria ſint ſuffragia; præferendus eſt ille, qui damno omni cavendo & meliori ſatisdationi paratum ſe offerat. Ceterum & ſorte, & arbitrio, & judicis ſententia res decidi poteſt.

§. 647.

Fructus communes, onera communia pro ratione partium dividuntor. In dubio partes æquales eſſe cenſentur: qui contradicit, contrarium comprobato.

§. 648.

Socio unicuique partis ſuæ plenum eſt dominium, & quatenus jus ſocii alterius non infringitur, jus partem ſuam aut fruc-

tus

tus partis ejus pro libitu & per ſe oppignorandi, legandi, vel alienandi.

§. 649.

Licet ſocio cuivis rationes adminiſtratæ rei communis, diviſionem lucri, immo & ſolutionem communionis exigere, ſiquidem continuandæ communioni non jam adſenſerit, & jus, quod pluribus competit, in genere diviſibile ſit.

§. 650.

Quandoquidem diviſio communionem jam exſiſtentem demonſtret: communione autem contradicta diviſioni locus non ſit; neceſſe eſt, ut, qui hæreditatis portionem aut partem aliam petit, jus ſuum hæreditarium aut condominii comprobaverit.

§. 651.

Particeps communionis, qui rem communem adminiſtrat, geſtæ rei rationem reddito. Modum rationes adprobandi, defectus notandi & explicandi,

& quæ porro ea in re peragenda ſint, codex judiciarius præſcribit.

§. 652.

In ordine res ipſas, uti vinum educatum crudum, fruges collectas dividi oportet. Quodſi nec factu opportunum ſit, nec ſociis probetur; pretium ex rebus iis comparatum pro rata parte inter ſe dividunto.

§. 653.

Si finito uſufructu fructus ultimi anni ſint dividendi; detractis ante omnia impenſis in culturam factis reſiduum proventus inter dominum & uſufructuarium decedentem hæredesve ejus, ſervato temporis modo, dividitor.

§. 654.

In ordine ſocio cuivis jus eſto communione exeundi; ſed nec tempore alieno, nec damno aliorum exito, & moram aliquam rei conſentientem, neceſſariam, dum exeat, patienter ferto.

§. 655.

§. 655.

Socius vel pacto, vel alio legitimo actu continuandæ communioni obligatus ante ſtatutum tempus non exito. Quæ obligatio, uti aliæ obligationes, ceſſat, nec in hæredes tranſit, niſi proprio eorum conſenſu. Obligatio communionis perpetuæ per ſe nulla eſt.

§. 656.

Sublata communione ſuffragio majori in re dividunda locus non eſto. Diviſionem rei particeps quisque probet, eique adquieſcat, neceſſe eſt. Si non probet; arbiter, judex aut ſors rem decidito.

§. 657.

Eadem eſto judicis vel arbitri ſententia in dividundis prædiis, ædificiisve, an participi ſocio in utenda parte ſua ſervitute, nec ne opus ſit?

§. 658.

Res communis ubi ſalva ſubſtantia dividi nequit, ſi participes in tradenda ac-

cipiendave re ea inter ſe diſſentiant; rei haſtæ publicæ ſubjectæ & divenditæ pretium inter participes dividitor.

§. 659.

In dividundis prædiis fines uniuscujusque prædii pro diverſo ſitu margine, foſſa, pila, terminis, palis, arboribus, aggere, ut appareant & durent, nec obſcure, nec fluxe diſtinguuntor. Flumina, montes, viæ termini ſunt naturales.

§. 660.

Ut fraus & error abſit, ſaxis terminalibus, palis, pilis, arboribus & aggeribus, quibus confinia diſtinguuntur, cruces, arma, numeri, aut ſigna alia inciduntor, aut ſub iis fixa vel infoſſa ſtatuuntor.

§. 661.

Nec ſatis eſt prædium commune finibus ſuis diſtingui, & inſtrumenta communionis diviſæ fieri. Ut jus participi in parte ſua reale adquiratur, inſtrumentum

tum divisi communis in libros publicos referendum est.

§. 662.

Si termini caussa & casu quocunque læsi sint, ita ut periculum sit, ne diffluant & evanescant; jus esto participi cuivis finium communem restaurationem petere. Limitrophi itaque participes hanc in rem vocandi sunt, & sumtus pro modo confinii uniuscujusque conferendi.

§. 663.

Qui terminos culpa sua lædit, corrumpit; damnum datum & sumtus restaurationis rependito. Qui dolo malo terminos vellit, movet, turbat; delicti criminalis reus esto.

§. 664.

Si termini defluxerint, neque adpareant amplius, aut definiendis terminis lis supervenerit; statum possessionis novissimum judex ante omnia intactum præstato. Quo facto, quicunque læsum se

re-

reputat, documenta poſſeſſionem ſuam, condominium, aut jus aliquod ſuum in re comprobantia rite & ordine exhibeto.

§. 665.

Dimenſio & deſcriptio, atque etiam delineatio fundi controverſi, tum librorum fundi ejus publicorum aliorumve inſtrumentorum auctoritas, denique, teſtium peritorum teſtimonia, arbitrium peritorum re fundove inſpecto prolatum, graviſſima definiendi confinii argumenta & documenta ſunt.

§. 666.

Ubi litigantium nemo jus aliquod præcipuum poſſeſſionis aut dominii ſibi eſſe comprobet; judex aream fundi controverſam inter omnes pro rata dividito. Cauſſa dubia, linea recta inter conterminos conſortes ducta limites determinat.

§. 667.

Jus paſcui ab aliquo poſſeſſum, ſi definiri nequeat; an ex ſervitute vel condo-

dominio oriatur? dominii communis esse censetur, præsertim si divisio ob fundorum interjacentium varietatem difficilis & impedita adpareat.

§. 668.

Sulci, sepes viva aut sarmentis implexa, defixi palorum asserumve ordines, muri, rivi privati, canales, areæ vacuæ & similia fundorum confinium interstitia communis sunt dominii, nisi arma gentilitia ipsis præfixa, tituli, inscriptiones aut alia signa contrarium ostendant.

§. 669.

Consors parietis muro in mediam fere crassitiem in parte sua utitor; pseudothyra, armaria parietalia, ni parte adversa sint, in sua libere efficito; ædes nec camino aut foco exstruendo igni exponito, nec vicinum in parte utenda sua impedito.

§. 670.

Confines similia interstitia communia pro rata reficiunto. Si gemina sint, aut divisum dominium; suum unusquisque de suo reficito.

§. 671.

Lateres, tigna, saxa muri intergerini una ex parte prominentia, pendentia; columnae, pilae, postes, retinacula, sublicae asserum compaginis, qua parte locata & solo defixa sunt, ea parte indivisum rerum earum dominium designant. Indivisum quoque dominium muri possessoris ejus censetur, qui conjunctum ei aequali altitudine & crassitie murum continuum sine controversia possidet.

§. 672.

In regula non tenetur possessor singularis ad reficiendum murum suum aut prolapsum asserum septum, nisi si ruina tali periculum confini vicino immineat. Obligatur tamen possessor quivis ad inclu-

den-

dendam & prætexendam a dextra parte ingreſſus ſui ſuperficiem ſuam, eamque ab aliena ſuperficie ſecernendam.

§. 673.

Servitutes, termini, inſtrumenta communi uſui neceſſaria dividi non poſſunt. Servitus luminum, proſpectus, uti termini, inter participes communis eſto. Inſtrumenta, ſi nihil obſtet, majori participum omnium natu conſervanda demandantor; data reliquis facultate ſumtu ſuo juſte & legitime ea deſcribendi.

§. 674.

Ipſa cujuscunque boni communis diviſio fraudi eſſe tertio non poteſt. Jura omnia pignoris, ſervitutis, & realia, quæ indiviſa in re habuit, diviſam ſequuntur. Jura quoque perſonalia in obligatum hæredesve ejus omnes, a quibus repræſentatur, vim & effectum ſuum continuant.

§. 675.

Itaque quod communioni aut assi hæreditario quisquam debet, id singulo communionis ejus consorti singulisve consortibus persolvere fas ei non esto. Quæ sic debentur, ea universæ communioni aut ejus repræsentanti seu vicario legitimo pernumerantor.

§. 676.

Quæ hactenus de communione summatim stabilita sunt, ea & in jura familiæ alicui tanquam communioni propria, ceu fundationum piarum, fideicommissorum instrumentorum & similium, apte quadrant.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0023789